

DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER SEXTUS.

NOVA GALÆCIA.

C A P . I.

*Novæ Galæciæ limites, provinciæ, Cœli sôlique qualitates, fructus.*



O V A G A L A E C I A , quæ & Guadalaiara à primaria urbe, & nonnumquam Xalisco à principali provincia ab Hispanis appellatur, conventum juridicum per se hodie constituit secundum hodiernam Hispanorum partitionem: Finesque habet ad ortum quidem & Aquilonem portum *Navidad* & *Chiapalam* paludem, quæ illam dividit à Nova Hispania; ad occasum fretum *Californiae*, licet & terras ad Favonium porro sitas includat, ad Corum vero atque Arctum vastas & parum cognitas regiones, in quas indeterminatis limitibus patescit; quæque quoquomodo ab Hispanis cultæ paulo pluribus quam centum leucis in latitudinem dicuntur patere, & à portu Nativitatis secundum oræ maritimæ ductum circiter trecentis.

Hæc præfectura plurimas complectitur provincias particulares, quarum principales sunt, *Guadalaiara*, *Xalisco*, *los Zacatecas*, *Chiametla*, *Culuacan*, *Cinaloa*, *Nova Biscaja*: limitaneæ autem *California*, *Cibola*, *Quivira*, *Nova Mexicana*: de quibus singulis suis locis atque ordine agetur.

In omnibus hisce regionibus aër magis temperatus est quam frigidus: Junio Julio atque Augusto crebri nimbi atque tonitrua accident: non rari quoque terræ motus, majoribus & firmioribus ædificiis potissimum metuendi. Cœlo alioquin gaudent sereno, & rarissimè, præterquam pluviis mensibus, nubilo; Solum hic cestantibus pluviis est aridius minimeque uliginosum: venti hic ut plurimum valide perflant & maxime ab Australi plaga; pluviæ plerumq; densiores & nimborum in modum concitatæ. Ros matutinus liberalior; circa festum Nativitatis nonnumquam pruina & 40 levi gelu tentantur: cæterum omnes hæc provinciæ admodum sunt salubres, & valitudini incolarum ad proiectam usque ætatem amicissimæ, & pestilentiæ quam minimum obnoxiae. Habent tamen & pestem suam, maximam Mosquitorum colluviem, & Cimicum copiam, tam grandium ut fabas dicantur æquare, & virulentis suis morsibus pustulas excitare juglandum mole: nec à scorpionibus immunes sunt, sed ictus eorum minime lâthales sunt, siquidem exquisito viginti quatuor horarum dolore expunguntur, aut cidoneorum succo curantur.

Solum magis montosum est quam planum; magna sui parte arenosum, nonnumquam & argillosum: petræ hic frequentes, nulla tamen marmora, aut lapides aliquius pretii haec tenus hic reperta legimus: ædificiorum parietes plerumque luto aut 50 limo concinnantur.

Quatuor ab urbe *Guadalaiara* leucis, secus viam quæ ad *Zacatecas* dicit, mons in summam assurgit altitudinem, ita ut ascensum illius atque descensum leucæ spacio definiant, equis aut aliis jumentis inaccessus: reliqui quoque montes in illis partibus admodum asperi sunt atque silvosi, ubi ingentes pinus & procerissimæ quercus videntur, & magna luporum copia alitur.

Metallorum præsertim argenti atque æris magna hic reperitur copia; auri ha-  
ctenus

Etenus nihil, & ferri aut chalybis perparum. Metallis autem omnibus, ut plurimum admixtum reperitur plumbum, crebrique lapides quos vocant *Margasitas* & *Chalcivitas*; etiam gemmæ quas Nephriticis affectibus mederi volunt.

Solum multis partibus nitrosum deprehenditur, unde hic salem è pluvia tili aqua coquunt.

Maximus harum regionum fluvius est *Barrania*, qui è lacu Mechucano se effundens, citus fertur versus Corum, & quatuor ab urbe Guadalajara leucis de Cataracte decem orgyas alto se præcipitans, evolvitur in mare Australe; nusquam vado transitur, sed ratibus quæ è canis atque cucurbitis compinguntur, ut plurimum trajicitur, quibus homines cum impedimentis insident, & equis juxta fluitantibus à barbaris natantibus ad adversam ripam non sine discrimine propelluntur.

In provincia *Tecpan* lacus est ingens, viginti; aliisque in *Zacualco* duodecim leucas ambiens; lætissimis pascuis in ambitu & jumentorum copia uterque celebris.

*cap. 3.* In omnibus pene convallibus hic abunde crescit arbor *Misquitl*, quam superiori libro descripsimus, ferens siliquas oblongas pendulas, haud dissimiles carrobis: & ejusdem generis planta quam vocant *Guamochen*; Vtriusque fructus vulgo à barbaris in cibis usurpantur. Inter arbores autem quæ hic frequentissimæ, magnitudine præcellit *Zeybo*, Oviedo *Ceiba*, qui mira narrat de vastitate harum arborum; materies tamen illius spongiosa fere inutilis est, neque ad fabricas adhibetur: fructus fert instar siliquarum, rotundos, plenos subtili quadam lana, quæ siliquis præ maturitate dehiscentibus in auras dispergitur: Umbram quam facit hæc arbor, hominibus salubrem esse prædicant. Plurimæ quoque hic reperiuntur *Tuna* quæ quidem exquisitos fructus ferunt, sed Coccinillam minus laudatam.

Porro cidonia mala, pyraque, ficus, persica præcocia, & quæ Melocotones appellantur, aliique fructus Europæ hic tam ubertim proveniunt atque perfecte maturantur, ut Hispanenses fructus longe præcellant: cerasi vero ita ramis foliisque luxuriant, ob terræ fœcunditatem atque humiditatem, ut rariores fructus ferant: nec oleæ hic suos ferunt fructus ob formicarum multitudinem, quæ radices illarum suffodiunt. Campestria loca pabulum omnis generis abunde animantibus subministrant: sponteque producunt tuberis subterranei quoddam genus, (quod Hispani vocant *Castanvelam*,) porcis saginandis haud secus utile quam glandes aut castaneæ. Triticum quoque clementer patitur solum & plerumque sexaginta modios reddit pro uno; Mayzii etiam ducentos & interdum plures: Secale atque hordeum non magni faciunt Indigenæ, neque iis indigent, legumina vero atque olera Europæa & diligenter & cum magno colunt emolumento: Axi de quo alibi diximus, imprimis abundant: Cedavilla denique, qua equorum scabiem & ulcera curant.

Satorum in hisce regionibus pestis sunt formicæ; nec non picæ, exiles quidem illæ nec passeribus multum majores, sed tanto numero, ut integrum segetem, ubi semel aristis incubuerint, prosternant atque conculcent, neque clamore aut aliis terriculamentis deterreantur.

Fluvii piscibus abundant & sylvæ feris, haud secus quam in Nova Hispania. Apum denique infinita hic copia, quæ aculeis destituuntur, & plurimum in concavis arborum truncis mellificant.

## C A P. II.

### *Indigenarum ingenia, mores, instituta; Hispani incolæ.*

**I**NDIGENÆ harum provinciarum ingenio sunt admodum versatili, & levi de causa mutant domicilia; & non raro libertatis atque immunitatis à tributis causa, in silvas & solitudines se subducunt, ibidemque ad antiquos mores & immanes consuetudines relabuntur: Industrii quidem sunt & sagaces, admodumque dociles etiam eorum quæ religionem spectant, verum segnes & laborum imprimis impatientes, ad quos vix ægre, & non nisi magna mercede se patiuntur traduci. Statura corporis paulo majora sunt quam Mexicanæ: amiciunt se indusiis gossypinis, & palliis

palliis quadratis è *Maguey* gentilitio illorum more contextis, quæ duabus fibulis supra humeros connectunt. Storeas junceas usurpant pro lectis, quas gossypinis stragulis integunt: virides lapillos & conchylia quædam elegantia brachiis, cruribusque, ornatus causa circumligant: Nulla re impensius utuntur aut magis delectantur quam choreis, quibus totos dies ad inconditum & raucum lignei tympani sonitum picti corpora & variis plumis ornati, cantillantes indulgent, & compotationibus ad ebrietatem usque occupantur; nulla ipsis divitiarum cupiditas; perexigua terram colendi cura; *Maguey* tantum diligentius colunt, idque potus gratia: Fructibus cuiusdam arboris, quo s*Tecomates* vocant (arbor est grandis & moro frondibus non assimilis, quæ fructus fert instar cucurbitarum, varia forma & mole) pro vasis utuntur, adeo interdum grandibus ut Azumbrem (mensura est Hispanica quæ, ut notat *Clusius*, capit rerum liquidarum libras tres & uncias quatuor; respondetque binis sextariis veterum, quorum sex congium efficiebat, five libras decem) liquoris contineant: vitant ut plurimum carnibus, unde & gallinas alunt magno numero. Mayzio tosto vel etiam pisto, pro pane vescuntur, *Cacao* autem tritum admista mayzii tosti portione pro obsonio usurpant; liquorem *Maguey* aut apozema è *Cacao* & *Mayzio* pro vino. Ut plurimum quoque *Cacao*, *Mayzium*, Axi aliave aromata in pollinem trita, aqua miscent, eamque sorbillant; talemque pollinem, dum iter faciunt, in fæculis coreaciis solent circumgestare. Gossypio quidem abundant, ejusque texendi haud ignari sunt, sed agnata inertia illud colere aut colligere negligunt. Olim quidem ligneis palis terram subigebant, nunc ligonibus ad Hispaniæ normam fodere didicerunt.

Pagatim quoque jam degunt, habentque, suos Regulos, judices, prætores atque apparitores, secundum consuetudines Hispaniæ. Et Reguli quidem hæreditario jure succedunt, reliqui ministri à Præfectis regiis constituuntur. Summa ipsis infamiæ nota, tonderi; nihilque magis ambunt quam bellicæ fortitudinis gloriam. Ad annum Domini 1515XXII (ut ab idoneis authoribus observatum inveni) pauci *Mestizi*, id est, ex Hispano & Inda, vel contra geniti, quos hybridas veteres vocabant, in hisce provinciis reperiebantur: multi autem nigræ, qui hic nati, industria & laborum tolerantia Africanos longe dicuntur superare. Atque hæc quidem de gentibus hisce in communi dicta sunt.

Particulatim autem commemorantur *Cazcanes*, qui ad fines *Zacatecarum* degunt, lingua moribusque à cæteris diversi: *Guachachiles* itidem idiomate differentes; Denique *Guamarae*, quorum idioma supra modum concisum, difficilime (uti & cæterorum) addiscitur; atque hæc quidem nationes, ubi pagatim degere assueverint, paulatim cicurantur; verum furtis & latrociniis adeo sunt dediti, ut vagari malint & à consortio Christianorum abhorreant.

Hispani autem qui in hisce provinciis degunt, mercaturam ut plurimum exercunt & in metallicis occupantur; non pauci & pascendo pecori & armentis numeri triendis aut agris colendis vacant. Licet autem *Sacchari* cannæ uberrime hic proveniant, non tamen easdem excolunt, non magis quam *Tunas* licet hic integræ illarum silvæ reperiantur, & quidem una, ut ferunt, tam vasta ut quinquaginta pene leucas complectatur, è quibus infinita *Coccinillæ* copia colligi posset, si cultura adhiberetur. Vehiculis & carris passim utuntur, atque junctis bobus, equis, mulisve ducunt. Mensuras atque pondera Hispaniensia usurpant. Pagos adversus silvestres barbaros, qui soli hic metuendi, ligneis palis sepiunt; corpora autem gossypinis thoricibus (*Ecaupiles* ipsi vocant) adversus sagittarum ictus muniunt. Nunc singulares provincias particulatim lustramus.

## GUADALAJARA.

## CAP. III.

Guadalajara Provincia, & oppida quæ Hispani in illa colunt.

**I**NTE R provincias Novæ Galacia eminet, quam vulgo appellant Guadalaiaram, cœli temperie & soli ubertate nulli secunda; nam & triticum benigne patitur & Mayzium; redditque multas alias Europæas fruges insigni fœcunditate, argenti denique supra modum est locuples. Fines habet ad ortum ex parte Mechoacanam,<sup>10</sup> ex parte Mexicanam provincias; ad Occidentem Xalisco; ad austrum provincias Mechoacanæ quæ mari pacifico alluuntur; ad Arctum Zacatecas. Oppida hic ab Hispanis incoluntur tria.

Primaria civitas *Guadalajara*, quæ provinciæ nomen dedit, à *Nonnio Guzmano*, anno c<sup>1</sup>o I<sup>o</sup> xxxi condita, viginti gradibus & totidem scrupulis ab Äquatore versus Arctum, (uti ab *Herrera* proditum est, quum Tabulæ Geographicæ illam ad vigeimum primum gradum & semissem collocent, quod & situs differentia ab urbe Mexicana videtur postulare) & sub centesimo & sexto gradu cum dimidio longitudinis à Meridiano Toletano subductæ; nam à Toletto secundum rectam lineam mille septingentis & octuaginta leucis distare hanc à curiosis est observatum. Abest autem à Metropoli Mexicana octuaginta & septem leucis inter arctum atque Favonium, & ab extremis Novæ Hispaniæ finibus quadraginta: à *Culiacan* ducentas quinquaginta, si non fallitur hic *Herrera*: ab argentifodinis *Zacatecensibus* quadraginta, licet *Herrera* sui immemor alibi longe minorem numerum prodat: à Xalisco denique tantum duodecim. Pertinet autem hujus urbis diœcesis ad extremos fines provinciæ quam vulgo vocant *Francisci de Ybarra*. Pomœrium hujus urbis olim à barbaris vocabatur *Molino*; planicies lata, haud longe à flumine, limpidissimis fontibus & torrentibus rigua; ideoque & gramine læta, & arvis satisque dives; vicini autem montes materiem struendis ædibus perdoneam abundè subministrant. Aëris tempries hic perjucunda, neque nimio æstu torretur, neque frigore geluve alget, sed salubris est & molestorum insectorum quam minimum fæta. Solum denique Europæum triticum liberaliter cæterosque fructus abundè producit. Iudices regii hic tribunal suum habent, reliquique Regis ministri & quæstores ærarii ibidem habitant; uti & Episcopus qui inter Archiepiscopi Mexicanæ suffraganeos annumeratur; Cathedralis enim Ecclesia quæ antea in urbe *Compostella* fuerat, anno Domini c<sup>1</sup>o I<sup>o</sup> lxx huc fuit translata. Sunt præterea hic Franciscanorum & Augustinianorum cœnobia.

Altera urbs ab Hispanis *Villa del Espiritu Sancto* appellatur, ab eodem *Nonnio Guzmano* condita, in provincia quæ gentili nomine *Tepique* dicebatur, de qua præterea nihil haec tenus observavimus.

Tertia deniq; dicitur *Sancta Maria de los Lagos* ab eodem *Guzmano* constructa, distans à metropoli Guadalajara triginta leucas versus Eurum; præsidium est adversus barbaros *Chichimecas*, qui inter Ortum atque Arctum passim in nemoribus atq; campis ferarum more vagantur, omnis humanitatis vacui; latitantque plerumque in cavernis & abdytis silvarum, humi sub dio cubantes, & ferina atque agrestibus fructibus misere vitam tolerantes, partim nudi, partim ferarum exuviosis leviter tecti, & arcubus atque sagittis armati; vastis corporibus nec indecoris, cæterum helluones & bibones strenui, potionem quadam ex agrestibus radicibus composita sese inebriant: sed de his alibi jam diximus; nec de hac urbe plura nobis comperta in Hispanorum Geographorum aut Historicorum commentariis.

## XALISCO &amp; CHIAMENTLA.

## C A P. IV.

Xalisco & Chiamentla Provinciæ, oppidaque in eisdem ab Hispanis habitata.

**S**E C V N D A hujus Præfecturæ provincia appellatur *Xalisco*, Mayzii quidem egregie fæcunda, sed pecorum atque jumentorum pene indiga. Scribit *Nicolaus Monardes* apud *Clusium* in *Exoticis. Gelisco* Novæ Hispaniæ provinciâ (quam hanc esse opinor) oleum seu liquor quidam adfertur, cui Hispani, oleum ficus infernalis, nomen indiderunt, eo quod ex arbore cùm fructu, tum foliis simili Ricino (sed in majorem altitudinem ob soli ubertatem excrescente) elicetur. Eadem vero ratione, hoc oleum Indi eliciunt, quam docuit *Dioscorides* lib. I. cap. 30. hoc est, contuso semine, deinde in aqua cocto, postremum oleo innatante cochlearibus excepto. Hæc eliciendorum oleorum ratio ex seminibus & fructibus, Indis admodum familiaris est, quippe qui nullam expressionem nōrint: sed etiam hoc oleum isto modo quam expressione facilius elicetur. Magnis viribus pollet illud oleum, veluti experientia & multo ejus usū comprobatum est, cum in India, tum in hisce regionibus. Omnes morbos ab humoribus frigidis provenientes sanat, omnes tumores dissolvit, flatusque discutit, præsertim ventris, eamque ob causam non modo in *Anasarca* utile, sed in omnibus *Hydropisis* generibus, si ventre illo inuncto, aliquot guttæ vino aut alio liquore commodo exceptæ sorbeantur: Etenim aquas evacuat; quod etiam minore noxa facit, clysteribus injectum. Ventriculum frigidis humoribus & flatibus liberat: & coli doloribus utile, si partes affectæ eo inungantur; & aliquot guttulæ sumantur. Efficacius subvenit Ilii doloribus, ut experientia didicimus. Articulorum morbis, à causa non admodum calida natis, auxiliatur, humorem evacuando, si aliquot hujus olei guttæ, pingui jure gallinæ dissolutæ sumantur. Contractos artus, si eo inungantur, curat, nervos molliter distendendo. Stomachum, uterum & lie- nem obstructionibus liberat inunctione. Alvum puerorum emollit, illito toto ven- tre: atque ventris animalia pellit, maxime si ejus una aut altera gutta è lacte aut jure pingui propinentur. Ad psoras & ulcera capitis manantia valet: confert aurium doloribus & surditati; omnibus præterea cutis vitiis, præsertim faciei; varosque mulieribus plerumque infestos illitu expurgat. Calidum est initio tertii gradus, humidi secundo. Addit *Clusius*, qui & iconem fructum adjicit, fructus ab Indis appellari *curcas*: sed fructus illi videntur eidem esse cum illis quos supra descripsimus sub nomine *pinnones de Brasil*, de quo tamen ambigo: Nominis autem *Curcas* nus- quam vestigium inveni apud diligentissimum plantarum Americanarum descripto- rem *Fr. Ximenem*; qui neque olei ficus infernalis meminit, quod miror, scripsit enim diu post *Monardem*. Præcipua & forte unica hujus provinciæ urbs dicitur *Compo- stella*, haud longe à littore sita, ad altitudinem unius & viginti graduum (uti ab Anglis observatum inveni) quum plerisque tabulæ Geographicæ hæc tenus editæ, ad eandem cum *Guadalajara*, quædam etiam pene ad vigesimum secundum gradum septentrionalem collocent: Distat autem à *Guadalajara* tres supra triginta leucas versus occasum. Condidit illam *Nonnius Guzmanus* anno 1515 xxxi in planicie juxta fluminis ripam, ubi nec pascua pecoribus in ambitu suppetunt, nec solum ubertate satis responderet: Equis quoque gramen deficit; Ut & materies ædibus struendis. Denique quia urbs vicina est mari, aër hic imprimis fervet, multaque generat insecta & noxia animalcula; idem & humidissimus est, crebrisque tempesta- tibus obnoxius; ut non dubium sit hanc urbem, conditoris imperitia, incommodissimo loco collocatam fuisse.

Ad oram præterea Maris pacifici, exiguo intervallo à portu Nativitatis; pagum habet, quem vocant *La Purificacion*, in ipsis finibus hujus provinciæ, loco calidissimo atque valde insalubri.

*Xalisco* confinis est *Chiamentla* provincia ad oram maris Australis sita viginti leucas longa totidemque lata, ut ab *Herrera* proditur: Insignis quidem illa & quondam

incolis frequentissima, qui arcubus & sagittis, parmis atque clavis simul armati, prælia ciebant: Parmæ constabant è bacillis, quos funiculis quibusdam arcte inter se contexebant; has sub axillis fune ligatas gestabant: atque ubi opus erat, solvebant; eisque corpus pene totum contegebant, humi interdum strati ad equitum ictus eludendos; (nam validam admodum lanceam esse oportebat, quæ illas penetraret, ob materie duritiem..) Fœminæ hujus provinciæ formosæ erant, totumque corpus vestimentis tectæ; maribus erant breves tunicæ & calcei è cervicis tergoribus confuti: Onera omnia baculis supra humeros elevabant, sub axillis gestare imprimis indecorum opinantes; ubi bellandi occasio deest, venationibus omne tempus terunt. Idola olim venerabantur, nec ab humanis abhorrebant carnibus; plurimisque vi-  
tiis se dedebant; nunc postquam Evangelii lux affulxit, immanes illos mores cœperunt exuere.

Solum hujus provinciæ fertile; plurimaque hic reperiuntur argenti metalla; ceræ item & mellis non contemnenda copia.

*Franciscus de Ybarra* Tribunus militum, primus Coloniam Hispanorum deduxit in hanc provinciam anno <sup>20</sup> 1514, s. *Sebastiani* nomine imposito, duobus supra viginti gradibus ab Æquatore versus Arctum. Post illa aliquot opulenta argenti metalla in hac provincia reperta fuerunt, & stativa aliquot fossoribus constituta cum suis machinis & molendinis; ita ut hodie hæc provincia (quæ vulgo *de Ybarra* audit) inter argenti divites meritò numeretur.

## C U L U A C A N.

### C A P. V.

#### *Provinciæ Culuacan descriptio & quomodo primùm à Nonnio Guzmano fuerit lustrata.*

**C**HIAMETLA provinciæ ad eundem oræ maritimæ ductum contigua est illa quam hodie vocant *Culuacan*, quamque *Nonnius Guzmanus* primus lustravit atque perdomuit anno 1531. De cuius itinere atque expeditione d. 4. l. 9. hæc accepimus ab *Herrera*.

*Guzmanus* postquam oppidum *del Espiritu Santo*, quod hodie appellatur *Compostela*, condidisset, *Chiametla* cum exercitu discedens, primo *Piatzalam* provinciam est ingressus, eamque funditus destruxit, pagis omnibus concrematis; indeque transit in provinciam *Zapuatan*, in qua longe plures fœminas offendit quam mares, quæ res fabulæ originem dedit, ab Amazonibus habitatam fuisse: E qua copiis in diversas partes dimissis, progressus, tandem pervenit ad vastum flumen, frequentibusque ad ripas accolis nobile, cui *Rio de la Sal* nomen indidit. Solum hic planum erat, & in modum convallis à montibus circumquaque septum. Castra locata in *Piaxtla* 40 juxta fluvium ejusdem nominis, unius diei itinere à mari; postquam rationibus subductis centum & quinquaginta leucarum iter secundum littus maris fuissent progressi. Domicilia barbarorum qui hanc provinciam incolebant à vicinorum atq; adeo aliorum Americanorum fabrica multum diversa erant, in quorum angulis atque adytis angues complures reperti, peregrinum in modum congregati, capitibus supra & infra exsertis, terribili rictu, si quis proprius accessisset, cæterum innocui; quos barbari vel maxime venerabantur, quod diabolus ipsis hac forma apparere consueisset: eosdem tamen & manibus contrectabant & nonnumquam iis vescebantur. Fœminæ forma erant eleganti; utrique autem tam mares quam fœminæ ob goffypii abundantiam, vestibus se amiciebant. Hæc quoque provincia amœna & bene culta miserum 50 in modum à militibus pervaftata.

Hinc digressi, non sine crebris certaminibus cum bellicosis barbaris, pervenerunt ad *Baylam*; & octo dierum iter emensi per plurimos pagos ab incolis desertos, offenderunt grande flumen, quod *Rio de los Mugeres* nominarunt, ob magnum numerum fœminarum, quem ibidem viderant. Tota hæc regio qua ripam fluminis contingit, densissimis sylvis pene invia est, ubi aliquoties cum barbaris certatum: populoſa

populosa enim erat & bene culta.. Ad oram maris redire consilium erat , sed quum nullum iter commodum reperirent , adverso flumine *Mulierum* ascenderunt , & per-  
venerunt ad montana ibique non sine certamine ingressi sunt pagum *Quinolam* , (in- Quino-  
colis cum suppellectile sua se in sylvarum avia properè subducentibus,) eumque fun- la.  
ditus concremarunt.

Hinc per montium devia ægrè eluctati , ad alium pagum descenderunt , (quem amoenissimus amnis secabat) in quatuor regiones divisum , quem propterea *Quatro- barrios* dixerunt ; & mox ad alterum , quem *el Leon* appellarunt à leone ibidem in-  
vento. Regio hæc fertilissima erat & crebris pagis culta , quibus Hispani miseram va-  
stitatem intulerunt , agris depopulatis & indigenis aut cæsis aut fugatis. Ulterius pro-  
gressos opacum nemus excepit , quamplurimis barbarorum pagis interius cultum ,  
quod non sine suorum clade penetrarunt , quumque jam annonæ penuria laborare  
cœpissent , & nullum exitum invenirent , post longos errores , ad provinciam *Culva- can* divertere sunt coacti.

Porro provincia hæc , quæ jam proprium habet Præfectum sita est ad oram Maris Australis , vel potius intra Fretum Californiæ , à Chiametla versus occidentem ; uber-  
tate soli , & annonæ abundantia nulli secunda , nec argenti metallorum expers. So-  
lum enim omne quod duo flumina *Piaxtlan* & *Culuaçan* interjacet , frugibus , & di-  
versis arboribus fructiferis abundat : Casæ Indigenarum stramentis artificiose tectæ  
erant & superiora portarum limina variis picturis ornata , in quibus obscenæ marium  
cum fœminis consuetudines visebantur , nec non (ut produnt Hispani) Sodomita-  
rum abominationum manifesta vestigia. Fora publica celebrabant Incolæ ; auri nulla  
ipsis cognitio ; pauca argentea monilia turcinis lapillis interstincta ibidem reperta .  
Hispani superioribus annis hic argentifodinas aperuerunt.

Oppidum unicum in hac provincia conditum invenio à *Nonnio Guzmano* , *Sancti Michaëlis* nomine , juxta flumen *Mulierum* , (cujus supra memini) quinque & viginti  
gradibus ab Æquatore versus Arctum : verum oppidum illud postea fuit desertum , &  
incolæ aliquot ab hoc leucis traducti , ad novum ejusdem nominis oppidum in valle  
*Horaba* structum , duabus à littore leucis , ob arvorum & pascuorum opportunitatem  
& fructuum abundantiam . Abest à Compostella leucas octuaginta , à *Guadalaiara*  
tres supra centum.

## C I N A L O A .

## C A P . VI.

*Nonnii Guzmani expeditio in Cinaloam, ejusque Provinciæ descriptio.*

**P**O S T R E M A & maxime ad Arctum submota secundum littus maris , Novæ Galæciæ provincia , appellatur *Cinaloa* , distans à *Culvacan* , quam sequitur , leu-  
cas duas & quadraginta ; à *Guadalaiara* centum & quinquaginta versus septen-  
triones , à *Chiametla* centum , ut *Herrera* prodidit . Operæ premium autem fuerit hic  
adscribere , quomodo primum à *Nonnio Guzmano* fuerit inventa , & quatenus iter per  
illam habuerit .

*Guzmanus* anno cIɔ Iɔ xxxii è *Culvacan* cum exercitu movens , quinquaginta  
leucarum itinere pervenit ad fluvium *Petatlan* ; id nomen fluvio atque provinciæ im-  
positum à *Petat* , quod nomen barbarorum lingua storeas denotat , quibus indigena-  
rum tuguria tecta erant ; rari in illa incolæ & pauperissimi mortalium ; fœminæ tan-  
tum pudenda tectæ , cætera nudæ agebant : mares cervorum tergoribus se amicie-  
bant , consutis & sub axillas rejectis ; Solem venerabantur , nec tamen ullis sacrificiis  
colebant ; Anthropophagi , ceterum membris bene compositis , colore fusco ; prælia-  
bantur primum sagittis , atque iis defuncti clavas expediebant , è durissima *Guajacan*  
materie , gladiorum in modum ..

Viginti ab hoc leucas progressis *Tamochala* fluvius occurrit ; interjacet autem den-  
sissimum nemus (arborum , quarum materies Brasiliæ ligni colorem atque duri-  
tatem æmulatur) & mera solitudo ; pauci indigenarum pagi ad ripam fluminis jacebant

d. 5. l. 1.  
cap. 7.  
*Petatlan.*

*Tamo- chala.*

ad Petlatanorum modum. Ab extremis *Tamochala* provinciæ finibus ad littus maris sex leucarum iter est, quarum quinque habitantur.

A *Tamochala* triginta leucas profecti, *Cinaloam* intrarunt, in qua supra viginti quinque pagos offenderunt, incolis frequentes. hic ob continuas pluvias quadraginta & duos dies subsistere coacti, pene toto illo tempore copiosa ferina & volatilibus à barbaris sunt alti, donec tandem barbari advenarum pertæsi in vicinos montes & sylvas profugerunt. Hispani trajecto flumine, triginta leucas procedunt versus austrum, per terras desertas & sitientes, in quibus neque fontes neque rivuli reperiuntur, quia planæ sunt & æstui expositæ, ita ut aqua pluvialis è quibusdam lacunis sitim cogerentur restinguere; Donec alterum fluvium offenderunt, non tam frequentem accolis, quam *Cinaloa*, qui tamen lingua, moribus atque amictu nihil à *Cinaloensibus* differebant.<sup>10</sup>

Postquam hoc flumen ratibus superassent, certiores fiunt octidui ab hoc itinere, multas & bellicosissimas nationes degere, quarum armis minime pares sint futuri: nihil tamen morati, duces itinerum sibi asciscunt, & septiduum per loca inculta profecti, tandem ad *Yaguimum* flumen pervenerunt; tanta autem aquarum penuria in desertis illis locis laboratum, ut multi barbarorum mancipiorum deficerent, & haud dubio omnes interiissent, nisi carduorum quoddam genus, Tunis haud absimile reperissent, quorum caules gladiis detruncati, liquorem quandam effundebant, insigni in tam fiticulosa regione levamento. Postquam flumen nullo prohibente transi-<sup>20</sup> vissent, pagum ab incolis desertum inveniunt, & semitam deorsum ducentem; quam sequentes, quamplurimos barbaros armatos obvios habuerunt, quos post breve certamen, (nam planicies favebat Hispanorum equitatui,) in fugam congererunt. Hujus fluminis ripis adjacent plurimi pagi, quorum incolæ sunt validi, & eisdem moribus & lingua cum præcedentibus. Supra ripas seriatim discurrent continua montium juga, quæ à principali illo montium tractu, cuius jam saepius meminimus orta, hic aliquot millia passuum, promontorii in modum in altum se projiciunt; inter hoc autem promontorium & *Xalisco* provinciæ angulum, littus veluti in cubitum arcuat, ducentarum leucarum spacio. Quum tantam annonæ inopiam ubique offenserent, & hi montes in ulteriora tendere prohiberent, ora denique maritima defisis  
<sup>30</sup> nemoribus esset obsita, consultius ipsis visum ad *Culacan* provinciam remeare.

Porro barbari qui inter *Petatlan* & *Yaguimum* flumina incolunt fere uniusmodi sunt; fructus habent per paucos, nullas batatas similesve radices: tantum melonum quandam speciem, mayzium, phaseolos & far quoddam minutum è quo panes suos coquunt: non norunt *Maguey*; sed potum suum conficiunt è carrobis quibusdam parvulis, (quas *Misquitl* arborem ferre diximus) confusis & aqua dilutis. Pugnaces sunt, nec tamen quod cæteris barbaris suetum, dum præliantur ululatum edunt; patientissimi quoque sunt laborum atque continuis venationibus exerciti; fœminæ nonnullæ faciem instar nigritarum cauteriis inurunt; viri autem notulis quibusdam incidunt punguntque. Solum ut plurimum planum & aridum; aër salubris: montium juga circiter triginta & quatuor leucas discedunt à littore maris; amnes admodum sunt piscoi; Denique juxta *Yaguimi* fluminis ripas tauri vaccæque & prægrandes cervi pascuntur.

Hispani jam olim coloniam in hanc provinciam deduxerant, condito oppido d. 8. 1. 10. *S. Ioannis de Cinaloa*; verum ægre illud tutari potuerunt, licet *Franciscus de Ybarra*, c. 24. novo Colonorum numero & largo commeatu è provincia *Culvacana* subiecto, illud conatus fuerit restaurare & stabilire, anno c. 1515 LIV.

Non abs re fuerit *Martini Pefsei* è societate Jesu, judicium de hac provincia usque ad annum c. 1515 xc i hic adjicere: *Cinaloa* (inquit) provincia divergit trecentas leucas ab urbe Mexicana, versus Arctum; à dextera præaltis illis atque aspermissis montibus tegitur, quos *Tepecuan* vocant; à sinistra alluitur *California* freto: ad occidentem clauditur *Cibole* & *California* provinciis; ad septentriones Nova Mexicana, à qua extreum hujus provinciæ flumen tantum bidui itinere abesse dicitur: fluminibus rigatur atque dividitur, ad quorum ripas indigenæ ob piscandi opportunitatem vicatim habitant; cælum hic stolidum & saluberissimum. Solum pingue & feracissimum, atque cujusvis generis frugum facile patiens; mayzii, phaseolorum & similium fru-  
gum

gum atque leguminum ingens copia; magna gossypii abundantia, quo viri pariter atque foeminae vestiuntur, Mexicanorum pene more: utriusque capillum alunt, viri autem colligunt in nodum: procero sunt corpore & Hispanos fere palmum excedunt; robusti atque bellicosi: arma illorum sunt arcus & sagittae veneno illitae, clavæque è durissima materie, & sagittæ è rubro ligno; difficulter admodum Hispanorum jugum acceperunt.

Idem meminit oppiduli *s. Philippi & Jacobi* ad ripam fluminis, duarum & quadraginta leucarum itinere ab oppido *Culiacan*; de quo me alibi non memini quicquam observasse. Hactenus maritimæ Novæ Galæciæ provinciæ ita se habent.

10

## U X I T I P A .

## C A P . VII .

*Provinciae quam Uxitipam vocant descriptio.*

**H**A C T E N U S provincias *Nova Galæcie* quæ secundum Mare Meridionale & Fretum *Californiae* jacent, particulatim suo ordine descripsimus, nunc ad interiores & mediterraneas nos convertemus; facto initio à provincia quæ 20 Præfecturam Panucensem proxime contingit, atque adeo eorum quæ sub Nova Galæcia hodie comprehenduntur versus Aquilonem ultimâ.

Quum *Nonnus Guzmannus* anno *clxxix* sese pararet ad expeditionem in provincias illas quas modo descripsimus; in præfectura Panucensi, quam ab Imperatore *Carolo V* speciali diplomate obtinuerat, sibi Legatum substituit *Lupum de Mendoza* illique imperavit ut prima occasione vicinam regionem lustraret, atque in *Uxitipam* provinciam, cuius jam fama aliqua ad ipsum pervenerat, si cœli solique qualitates votis responderent, coloniam Hispanorum deduceret. *Mendoza* Præfecti sui mandato haud segniter obsequutus, postquam diligenter regionum illarum situm, soli, coelique qualitates & Indigenarum mores explorasset, in vallem *Uxitipam* prout 30 jussus erat coloniam deduxit: conditum oppidum *s. Ludovici* nomine, distans ab oppido Panucensi viginti leucas ut prodit *Herrera*.

Est itaque mediterranea hæc provincia, declinans versus provinciam *Xalisco*, à qua centum & viginti leucas abesse dicitur; olim quidem appendix Præfecturæ Panucensis quandiu illa proprium præfectum habuit, nunc vero hac ad Mexicanam provinciam adjunctâ, Uxitipensis provincia ad Præfecturam Novæ Galæciæ accessit.

Indigenæ hujus provinciæ habitu corporis, moribus, atque institutis, à Mexicanis nihil differunt, licet multum diverso idiomate utantur: templo illorum edita erant, cum suis gradibus è cespite aggesta: palliis utuntur ad modum Mexicanorum: 40 Usurpant multas potionum species, variis modis compositas; quibus festivis diebus belluinum in modum quondam consueverant sese inebriare, multaque enormia perpetrare: nunc autem Hispanorum consuetudine, & à monachis edocti, gravioribus vitiis modum cœperunt ponere.

Provincia hæc supra modum abundat omnis generis fructibus: Saltus omnes pleni cervis aliisque feris: campestria loca coturnicibus, perdicibus, turturibus, aliisque volucribus; ingens quoque hodie hic gallinarum reperitur numerus; ita ut abunde vitæ humanæ necessitatibus non modo sit prospectum, sed & voluptati: Solum tamen multis locis inæquale & asperum, cœlumq; paulo fervidius. Flumen denique quod Panucum oppidum præterlabitur & paulum infra illud descendit in Novæ Hispaniæ fretum, huic provinciæ suam debet originem, eamque rigat. De amplitudine hujus provinciæ nihil mihi compertum, nec plura quam hactenus diximus observata.

## LOS ZACATECAS.

## C A P. VIII.

*Provincia de los Zacatecas, illius metalla, oppidaque.*

**S**UPERIORI provinciæ modico intervallo inter occidentem & arctum proxima est illa quam vocant *de los Zacatecas*, argenti quidem metallis opulentissima, sed aquarum, tritici atque mayzii, omnisque annonæ pene indigæ. Oppida tria hodie ab Hispanis hic habitantur, præter quatuor quinqueve municipia cum suis argentifodinis; quarum præcipua peculiaretur *de los Zacatecas*, provinciæ nomine appellatur, quadraginta leucis ab urbe *Guadalaiara* versus septentriones, octuaginta autem à Metropoli Mexicana; hic ut plurimum quingenti Hispani cum totidem mancipliis, & centum qua equis qua mulis, degunt; habentque monasterium Franciscanorum & ministrum regium e Præfectura *Guadalaiara*.

**Avinno.** Proximum locum sortiuntur illæ quas vocant *de Avinno*, anno primum c<sup>l</sup>o l<sup>d</sup>. 8. 1. 10. LIV, auspiciis Proregis *Ludovici de Velasco*, à *Francisco de Ybarra* inventæ; qui cum c. 23. militibus aliquot, multisque servitiis, & largo commeatu & apparatu bellico ab argentifodinis *Zacatensisibus* profectus, primum aperuit metalla *S. Martini*, ut jam vulgo appellantur, quæ distant à *Zacatensisibus*, itinere septem & viginti leucarum S. Mar- 20 versus *Corum*, ubi circiter quadringenti Hispani degere dicuntur: Secundo metalla tini. *S. Luca*; & tertio hæc *de Avinno*, atque alia plura in eodem tractu, quæ plurimum *S. Lucæ* argenti dederunt. Idem & metalla, quæ *del Somberiete* vocant, invenit in finibus *Erena*. *S. Martini*; juxta quæ nunc *Erena* oppidulum cernitur, viginti quinque leucarum intervallo dissitum à *Zacatensisibus* versus *Corum*. Denique metalla *de los Ranchos* & *de los Chalchuites* atque *de las Nieves*, è quibus quidem magna vis argenti educitur, sed longe major eliqueretur, si hydrargyri copia viliori precio hic haberri posset. Hisce inventis imperatum à Vicerége ut colonis deductis municipia ibidem conderentur, uti facilius se tutarent contra feroce barbaros qui ibidem & in vicino incolunt.

**Fresnillo-** Post illa & ditissima illa argenti metalla inventa, quæ *del Fresnillo* appellantur è lo. quibus hodieque maxima argenti copia hauriri dicitur.

Postquam autem colonia Hispanorum ad *S. Martini* argentifodinas esset deduc-  
cta & indigenæ ad quietem & pacem se componere cœpissent, Religiosi aliquot à  
Prorege missi, ut ulteriores regiones explorarent, & indigenas principiis Religionis  
Christianæ imbuerent; Verum *Franciscus de Ybarra* nimis periculose ratus hosce  
monachos solos ad barbaras & feroce nationes dimittere, armatis militibus ipsos  
comitari voluit. Tum primum vallis *S. Ioannis* & flumen *de las Nacas* adiri cœpit;  
barbarisque limitaneis qui rebellaverant, blandis sermonibus ad obsequium redu-  
ctis, oppidulum *Nombre de Dios* conditum, octo & sexaginta leucas ab oppido *Guad- 40*  
**Nomb. de Dios.** *dalaiara*, decem autem ab argentifodinis *S. Martini* versus Arctum, in solo perfec-  
tione & tritici atque mayzii feraci, nec non argenti venis opulento. *Franciscus de Ybarra* postquam præfecturam harum regionum primum ab ipso lustratarum à Rege  
Hispaniarum obtinuisse; ut oppidum hoc augeret atque ornaret, argentifodinas aliquot, in *Avinnensi* tractu à se emtas, tam indigenis quam Hispanis gratis indulxit;  
quo factum est ut magna hominum multitudo ad hoc oppidum confluueret & Regis  
reditus, quos *Quintos* vocant, in immensum augerentur.

Superioribus tam feliciter perfunditus *Ybarra*, per Tribunum militum *Alfonsum*  
**Durango.** *Pachecum* coloniam deduxit in vallem *Guadianam*, nomen *Durango* municipio impos- 50  
sum, in finibus fodinarum *S. Martini* & vallis *S. Salvatoris*, & octo leucarum inter-  
vallo ab oppido *Nombre de Dios*. Aër hic salubris esse dicitur, solum multis amnibus  
atque torrentibus riguum; & tritici, mayzii & aliarum frugum feracissimum; nec  
procul à municipio absunt argentifodinæ *S. Lucae* & percommoda salinæ. Hispani  
coloni hic multas villas ædificarunt, in quibus pecuariam exercent; ita ut vi-  
cini barbari jam urbanius agere cœperint, & indigenæ ad civilitatem & mo-  
res

res Europæos se componere, vestibus se tegere & Christianam religionem am-  
plicti.

Est & aliud in hac provincia oppidum, quod *Xeres de la Frontera* nominatur ab Hispanis, distans ab oppido *Guadalajara* triginta leucas versus septentriones & ab argentifodinis *Zacatensis* decem secundum viam quæ ad illas dicit. Xeres de la Frontera.

Diu multumque cum barbaris harum regionum incolis bellatum fuit; & *Chichimeca* atque *Guachachiles* itinera inter *Guadalajaram* & *Zacatecas* gravissime latrociniis suis infestarunt; donec tandem *Marchione de villa Manrique* Novam Hispaniam Prorege obtinente debellatum fuit; resque eò perducta ut jam indigenæ barbari in centum & quatuor tribus (*Repartimientos* vocant Hispani) distributi, colonis & oppidanis Hispanis servitutem serviant.

Superiori libro quum de *Panuco* ageremus, meminimus novi itineris à Mexicana civitate ad argentifodinas *Zacatenses*: consuetum alioquin iter ab hisce argentifodinis agitur, primùm per oppidum S. Michaëlis, deinde per municipium ut vocant Novum, & denique per provinciam Mechoacanam, & ita porro ad Metropolin Mexicanam, longo & difficulti itinere, ut Chiltonus prodidit: Quanquam suspicor Chiltonum nomine *Zacatecas*, potius Novæ Vizcaiae fodinas intellexisse, aut saltem remotissimas hujus provinciæ de qua agimus; nam quum illæ fodinæ quæ per excellentiam *Zacatecas* dicuntur, tantum quadraginta leucas à Guadalajara & octua-  
ginta à Mexicana civitate dicantur abesse, non capio quomodo compendium itineris fieri possit per Panucum, quod oppidum distat à Mexico sexaginta & paulo plures leucas, & à fodinis quas Chiltonus petebat centum & sexaginta.

### N O V A V I Z C A Y A .

#### C A P . IX.

*Provincia quæ hodie Nova Vizcaya dicitur, & metallorum quæ in illa reperiuntur descriptio.*

30 **P**ROVINCIAE de los *Zacatecas*, versus Corum proxima est, licet longo & pene quinquaginta leucarum intervallo, provinciæ illa quam *Novam Vizcayam* sive *Biscayam*, id est, Cantabriam nominant, annonâ, omnibusque ad vitam humana necessariis affluens & opulentis argenti venis imprimis nobilis: sub qua & altera provincia comprehenditur vulgo *Topia* appellata. Utramque autem primus adiit atque lustravit *Franciscus de Ybarra*, cuius expeditiones *Antonius de Herrera* in suis decadibus ad annum à Christo nato c. 1515 in hunc modum describit.

*Franciscus de Ybarra* postquam oppidum *Durango*, commeatu & militari præsidio d. 8. 1. 16. 40 abundè instruxisset, cum cohorte centum & triginta militum, ad vicinas & ulteriores regiones perlustrandas animum adjecit, & aliquot leucas progressus primò inventit metalla illa argenti quæ postea *Ende* & *S. Ioannis* nomen meruerunt. Deinde Ende, hyeme jam ingrediente, copias quidem in hiberna dimisit, ipse vero cum triginta tantum militibus ulterius processit, ut loca aliquot in montanis sita, quæ à numero-  
so populo inhabitari famâ acceperat, è vicino specularetur: Hic gravissimum di-  
scrimen adiit, & sitim atque extremam esuriem perpeßsus, ita ut equos suos mactare  
& illorum carnibus vicitare cogerentur, per aspermos atque arduos montes in  
*Topiam* provinciam tandem penetravit. Unde statim regressus, *Rodericum del Rio* Topia.  
tribunum militum, misit *Enden* ut locum communiret & colonos eò deduceret; ubi  
50 postilla ditissimæ argentifodinæ fuerunt apertæ. Alios ad eundem modum deduxit ad *S. Ioannis* & *S. Barbaræ* argentifodinas; quæ ambæ sitæ sunt in provincia *Nova Can-*  
*tabria*, trium circiter leucarum intervallo à se invicem dissitæ: ab his autem absunt Endes fodinæ leuc. viginti, quæ omnium quæ haçtenus ab Hispanis in illo træctu exco-  
luntur, extimæ censemur: Opulentissimæ autem hic sunt argenti venæ; aliæque haud  
longè hinc plumbi, ad argenti metalla cliquanda & repurganda summopere utilis &  
necessarii; quare longe maximum emolumentum ex harum regionum iustratione  
non

non modo Novæ Galæciæ, sed & Novæ Hispaniæ quaqua patet accessit, commerciaque cum Europæis supra modum aucta.

*I*barra ad vallem *S. Ioannis* in hiberna concedens, domum satis amplam construxerat & communiverat, in quam commeatum omnem concessit, providâ sanc*ta* industriâ, nam indigenæ (mutabilia enim sunt Barbarorum ingenia) advenarum pertæsi statim rebellarunt, & quadringentos, qua equos, qua mulos ex insidiis interimerunt. Quibus incommodis Præfectus nequaquam fractus, hyeme vix exeunte, denuo in provinciam *Topiam* movit, facto itinere per asperrimos & ita invios montes, ut manibus arborum ramos amoliri, ferroque sibi viam aperire adigerentur, & per inaccessas rupes reptando eniti: conflictabantur itidem cum altis nivibus & intenſissimo atque acerrimo gelo, quod quadragesima equos ipsis abstulit, qui partim à frigoris vehementia stimulati, in pyras (quas ingentes struere cogebantur) insilientes misere perierunt; partim ita subito obrigerunt, ut cadavera illorum instar statuarum in mediis campis longo tempore incorrupta confistere visa fuerint. Hisce miseriis defunctus tandem *Topiam* est ingressus, cuius indigenæ primum fortiter ipsi restiterunt, sed postea Ducas industria atque humanitate placati conqueverunt. Inde se recipiens transit in *Cinaloam* provinciam (de qua supra) ne rursus cum montani itineris difficultatibus conflictaretur.

Porro Argentifodinæ *S. Barbara*, hujus provinciæ facile principes, absunt à Zatecensis leucas centum, ut tradit *Herrera*: à metropoli autem Mexicana centum <sup>20</sup> & sexaginta, uti *Ioannes Gonzalez* testatur in descriptione Chinæ. Qui & hoc porro addit, septuaginta leucis ab his fodinis versus septentriones jacere prægrandia illa oppida, quæ ab Hispanis appellantur *las quattro Cienagas*. Nec plura nobis haec tenus de Novæ Cantabriæ provinciis & oppidis comperta.

### C A P. X.

#### Ora maritima Novæ Galæciæ, promontoria, sinus, Flumina atque Portus.

Tinto-  
que.

Chaca-  
la.

Manta-  
chal.

Metatlā.

**A**NTEQVAM ad limitaneas Conventus hujus juridici provincias procedamus, littus nobis legendum, ora que maritima Novæ Galæciæ lustranda. Superiori libro quum de provincia Mechoacana ageremus, quæ Novæ Hispaniæ ad occasum extrema censemur, littora ad portum usque *Malaccæ* perstrinximus; huic ad eandem plagam proximus est portus quem *Fullerus Candischii* nauclerus *Chacallam* vocat. Ab hoc littora legentibus in occasum octodecim leucarum intervallō, occurrit nobile Promontorium, quod vulgo *Cabo de Corientes* dicitur, ad altitudinem viginti graduum & triginta scrupulorum ultra æquatorem versus Arctum: à quo ad alium terræ angulum, vulgo *Punta de Tintoque*, decem numerantur leucæ, ora sepe in Arctum reflectente & in cubitum obliquata, qua sinum admittit, cui vallis <sup>40</sup> de *Banderas*, ut vocant, adjacet, quæ à modico amne secatur, ad cujus ripas utrumque plures horti & *Cacao* arboreta à Civibus Compostellanis excoluntur.

A *Tintoque* tres leucas versus Aquilonem proiectis exiguis portus *Chacala* sepe aperit, distans circiter octo leucas ab oppido *Compostella*. Huic portui adjacet vallis *de Chila* quæ montibus *S. Crucis* ad septentriones obtegitur, qui modico angulo in altum prominentes promontoriolum sui nominis efficiunt; pone quod portus aditur, *Mantachal* hodie nautis dictus; *Nonnius* autem *Guzmanus* in suis commentariis videtur *Mutochel* appellare: à quo trium leucarum intervallo versus Boream intra continentem pagus *Metatlan* jacet.

Statimque ad eandem oram sequuntur altissima hujus provinciæ montium juga, quæ vulgo *la Sierra de Xalisco* nominantur. Hæc prætervectos fluvius excipit, qui *Esquitlan* à nautis dicitur, atque idem omnino videtur, quem in *Guadalaiara* descriptione *Barraniam* dici supra ostendimus. Huic tantum leucæ spacio proximus est fluvius *S. Andreæ*, cui novem pene leucarum intercedine versus occasum objacet Insula *S. Andreæ* ad altitudinem duorum & viginti graduum septentrionalium; exigua quidem & denso arborum luco opaca, cæterum volucribus atque Iguanis referta:

sub

sub latere illius quod Corum adspicit, commode anchoræ jaci possunt, mari ibidem alto orgyas septendecim.

Ab hoc *S. Andreæ* fluvio littus continentis subsidet, & ad ipsam oram vestitur multis arboribus, quæ *Mangles* dicuntur; (de quibus arboribus alibi sumus dicturi) interior autem regio incolitur multis pagis, Provinciam *Singuiquipaqui* vulgo indi- Singui-  
getant: Credo eandem esse cum ea, quam gentili nomine *Centliquipac*, *Nonnius* quipa-  
*Guzmanus*, majorem Hispaniam quondam appellaverat, ut *Antonius de Herrera* d. 4. l. 9.  
testatur. c. 11.

Porro sedecim à portu *Mantachal* leucis versus Arctum proiectis, alias terræ an-  
gulus fit obvius, de *Matarem* nautis appellatus, à vastis montium jugis descendens, quæ *Matarem*.  
*Guainamota* vulgo appellantur. Ab hoc angulo littus se rursus erigit & attollitur in  
juga; interior autem provincia appellatur *Acaponeta* & *Chiometla*.

Sequuntur deinceps duæ peregrinæ insulæ, quas de *Mazatlan* vocant nautæ pone *Mazatlan*.  
quas portus est ejusdem nominis, sub ipso *Cancri Tropico* ut à diligentioribus naucleris  
est observatum: Sinus est modicus & admodum piscosus, in quem amnis descendit,  
sed ob vada ori illius objecta, navigiorum neutiquam patiens; ab hoc oppidum *s. se-  
bastiani* octo leucarum itinere intra Continentem abesse dicunt.

Ab hisce Insulis de *Mazatlan* littus reflectitur versus Corum leucas quatuor &  
triginta; In quo intervallo primum obvius est amnis, quem nautæ *Rio de Navito* vo- de Navi-  
cant & nos supra ut opinor *Piaſtlam* diximus appellari; deinde octo leucarum itinere  
*Barra de Dato*, modicus amnis & non nisi minoribus onerariis & celocibus naviga- de Dato.  
bilis; an idem sit cum fluvio *Mulierum*, cuius jam ante meminimus, ambigo.

Novem ab hoc leucas secundum eundem oræ maritimæ ductum proiectos,  
majus flumen excipit quod de *Quameto* vocant Nautæ, (*Herrera* alicubi *Pascuam ap-* Quame-  
pellat.) Tria autem hæc flumina *Culvacanam* provinciam dicunt intersecare, unde to.  
interdum communis nomine *Culvacana* flumina à nautis nominantur. Nos supra in  
descriptione Provinciæ trium meminimus *Piaſtlæ*, *Rio de Mugeres* & *Culvacan*.

A posteriori autem flumine Culvacanæ ad promontorium *Cinaloa* viginti leuca-  
rum iter est, in quo limitem provinciarum pacifice in hoc tractu ab Hispanis posse-  
sarum constituunt vulgo.

Denique huic oræ Novæ Galæciæ ad altitudinem unius & viginti graduum se-  
ptentrionalium, viginti circiter leucarum intervallo à Promontorio *de Corrientes*  
versus Corum, totidemque pene à continente Novæ Galæciæ versus occidentem,  
objacent tres Insulæ, quæ vulgo, *tres Mariae* appellantur, quarum alibi quoque men-  
tionem faciemus: sicuti & reliquorum quæ de hac ora dicenda supersunt; nunc ad  
limitaneas hujus Conventus Juridici & Præfecturæ Novæ Galæciæ provincias nos  
convertemus; quarum aliæ fretu interluente à Nova Galæcia sunt divisæ, uti *Califor-  
nia*; aliæ ad eandem Continentem tantum montibus, silvis aut fluminibus distin-  
ctæ, utræque autem nondum satis cognitæ aut penitus lustratae.

40

## C A L I F O R N I A.

## C A P . XI.

Californiae limites, Cortesiique navales expeditiones in Mari Australi.

**C**ALIFORNIA communiter dicitur quicquid terrarum Novæ Hispaniæ  
atque Galæciæ ad occidentem objicitur; quæ sane latissime patent & ad ex-  
tremos Americæ septentrionalis terminos & Fretum quod vulgo *Anian* vo-  
cant, pertinent: Utrum vero Continenti Americæ septentrionalis continuæ, in ali-  
quo Fretu ab illa divisæ sint, incertum est hactenus: nam & veteres Geographicæ &  
Hydrographicæ Tabulæ visuntur, quæ Californiam insulam faciant, & fretu qui-  
dem initio sui satis late, in progressu autem angustiori ab America dividant: in ho-  
diernis vero Tabulis ut plurimum cum continenti connectitur: ut sit, vastæ sunt re-  
giones & juxta littora tantum, minimaque sui parte leviter cognitæ. Proprie autem  
& peculiariter dicitur *California*, angulus ille terræ, qui inter Corum atque Eurum,  
ab

Guaya-  
val.

ab interiori Freti Californiani, ut ita dicam, gremio, ad promontorium *S. Crucis*, aut vigesimum secundum gradum latitudinis septentrionalis porrigitur & provinciis *No-væ Galacæ, Xalisco, Chiametlæ, Culvacana & Cinaloæ* ex adverso objacet. Multi & intra & extra dictum Fretum portus, stationes, sinus, fluminaque commemorantur, solis nominibus vix leviter nota. E regione autem & ad latus Fretum ingredientibus dexterum, ab antiquioribus insula describitur oblonga, exiguo freto à Continenti Novæ Hispaniæ divisa, quam *Guayaval* vocant, & à flumine de *Nuestra Sennora*, alias *Sebastiani de Bora*, & ad flumen *Pascuam* in provincia *Culvacana* sese extendere scribunt; quæ insula hodie in tabulis Geographicis non comparet; neque nautica itineraria illam agnoscunt. Ut autem verus harum regionum situs, oræque maritimæ ductus, aliaque quæ huc pertinent, commodius intelligentur, Navigationes aliquot Hispanorum, quarum descriptio ad nos pervenit, hic inserere operæ premium jadicavimus.

*Hernandus Cortesius* postquam jam plerasque Novæ Hispaniæ provincias perdomisset, ad Oceanum Australem penitus lustrandum, omnes animi cogitationes convertit, annoque à C. N. c. 1535 duas onerarias instruxit, quæ è *S. Iacobii* portu provinciæ *Colymæ*, solverunt: major quidem & Ammiralia, ut vulgo vocant, ab altera valida tempestate separata cursum tenere haud potuit, sed ad sinum *S. Crucis* fuit abrepta: Ubi quum in terram exscendissent, maxima nautarum parte à barbaris cæsa, quum pauci qui supererant navi gubernandæ impares essent, illam apud littus Novæ Hispaniæ ultro fregerunt: Altera autem (cui *S. Lazari* nomen erat) quum primo cursum versus Africum instituisset usque ad altitudinem tredecim graduum & triginta scrupulorum septentrionalium; atque inde vela vertisset versus Corum usque ad gradum decimum sextum ejusdem latitudinis, & mox versus Trasciam usque ad gradum decimum sextum cum semisse; rursusque mutato cursu versus Vulturum ad eundem gradum decimum sextum: obvertit denique proram Trasciæ atque *Coro*, in eoque cursu pertendit usque ad tertium & vigesimum gradum & triginta scrupula latitudinis arctoæ; atque inde ultro citroque velificando Insulam attigerunt, ad latitudinem (uti observabant) viginti graduum & totidem scrupulorum, cui *S. Thomæ* nomen imposuerunt. Visa hæc quinque & viginti leucas ambitu complecti, vernantibus arboribus læta; ad australem plagam in altum montem attollitur, sub quo commoda navibus statio, in patenti mari & viginti quinque orgyas alto; cætera littus insulæ undiquaque præruptum erat; nulla in ea aqua præter pluviam, eaque ob vicinitatem maris subamara.

*S. Tho-  
mæ I.*

Ab hac insula ad Novam Hispaniam redire satagentes, cursum ad *Cæciam* atque Aquilonem instituunt, à latitudine viginti graduum perparum declinantes, atque ita quidem primo haud longe à Novæ Hispaniæ Continente, ad latitudinem viginti graduum & totidem scrupulorum, prope *Ciguatlan* anchoras jecerunt, sub orientali insulæ cuiusdam latere, quæ per exiguo freto à continente divisa erat; & mox portum *Xuclutan* subjerunt, sex supra *Ciguatlan*, ut annotant, leucis. Dein littus quod hic præceps est, & in juga silvosa longe lateque assurgens, legentes versus Eurum, primo quidem *Zacatulam* mox vero *Acapulco* portum tenuerunt.

*Cortesius* de successu harum navium certior factus, majori conatu rursus alias tres instruit, & fortunam tentare seque ipsum pelago committere certus, è portu apud quem prior navis fracta fuerat, solvit, & post aliquot dierum navigationem appulit ad Californiæ littus, quod in altissima juga consurgit, quæ ille *S. Philippi* nomine insignivit, & mox ad Insulam trium leucarum intervallo à Continenti disjunctam, cui *S. Iacobii* nomen imposuit. Mense deinde Mayo, festoque *S. Crucis* portum illum est ingressus, in quo superiori anno milites illius atque nautæ à barbaris indigenis fuerant trucidati, cui tum primum nomen *S. Crucis* inditum, quod hæc-  
sus manet. Est autem commodissimus portus & adversus incerta ventorum egrægiè præmunitus, aditu quidem per angusto, sed sinu intus lato; distans ab æquatore (ut ipsi tum observabant) tres & viginti gradus & triginta scrupula versus Arctum.

*S. Petri  
& Pauli*

Hinc Fretum Californiæ trajicere conatus, sed adversa tempestate rejectus, minima navi qua ipse vehebatur, ad ostium fluminis *S. Petri & Pauli* pervenit. Hic aliquot

aliquot dies subsistens in summam incidit annonæ difficultatem & penuriam, neque enim à barbaris quicquam auxiliū erat adipisci, qui in illo tractu neque tecta ulla subire, neque terram colere sueti, agrestibus fructibus & ferina vitam tolerabant, plurimum quoque piscibus, quos ratis insidentes (quas ex quinque trabibus, quarum media latissima est, compingunt) in flumine atque ipso mari capiunt. Quumque hinc solvens adversam Novæ Hispaniæ oram adnavigasset, tantisper littus strinxit, donec se inter scopulos & vada pene conclusum animadverteret; Atque hic alteram suam navem, duabus ab hoc loco leucis, in anchoris stantem conspicatus, & à gubernatore ejusdem, qui commodum subsidio veniebat, adjutus navem paulatim subduxit, nec tamen ita extra discrimen collocare potuit, quin jam continentii propriem vadis ita impingeret, ut dehisceret & frangeretur, hominibus atque impedimentis ægre servatis; locus hic *Guayabal* ab ipso vocatur, octodecim leucas distans ab urbe *S. Michaëlis*, in provincia *Culvacana*. Hic reliquis navibus parumper refectis, rursus solvit, & postquam Insulam *S. Iacobi* pene ambivisset, Sinum *S. Crucis* denuo ingreditur, & aliquot suorum sub Præfecto *Francisco de Ulloa*, cum commeatu qui annum sufficeret hic relinquens, ad Novam Hispaniam est reversus.

Aliquot deinde annis intermissa fuit hæc navigatio, nec ante repetita, quam *Cortesius* ex Hispania in Americam rediisset, tunc enim *Franciscus de Ulloa* ab eodem missus ut Mare Australē & terras adjacentes porro lustraret, de cuius navigatione jam 20 porro agemus.

## C A P . XII.

*Francisci de Ulloa Navigatio in Fretō Californiano.*

**F**ranciscus de *Ulloa* cum una navi atque liburnica solvit è celebri Maris australis portu *Acapulco* Anno à C. N. c. 1515 xxxix octavo Julii, atque oram maritimam *Zacatula* & *Motin* nemorum viridantium amœnitate atque amnium frequentia spectabilem prætervectus, ad portum *S. Iacobi* in provincia *Colymæ*, vigesimo tertio ejusdem mensis divertit. Ibidemque septem & viginti dies moratus, vi- gesimo demum tertio Augusti rursus vela explicavit, & gravissima tempestate aliquandiu hac illa jactatus, tandem flumen *Guayaval* (ut vocat) provinciæ *Culvacan* est ingressus; quia autem liburnica (cui *S. Thome* nomen erat) ab ipso aberraverat, ad *S. Crucis* portum sibi trajiciendum existimavit, apud quem convenire jam ante decreverant. Substitit in hoc portu ad dies quinque & aquatione absoluta, quum liburnica non compareret, inde rursus solvit duodecimo Septembbris, & vicinam oram legens, tres quidem insulas conspexit, sed easdem præterit, haud operæ pretium ratus illas lustrare. Bidui itinere inde proiectus, flumen *S. Petri* & *Pauli* adiit; Hujus ori exigua insula objacet, quatuor aut quinque leucis à continenti disjuncta; utrique autem fluminis ripæ vasta planicies accumbit, amœnissimis arborum lucis distincta; in mediterraneis attollunt se in summam altitudinem vasti & nemorosi montes, per amœno prospectu. Hinc quatuor leucarum iter emensus, quum solum ubique planum, & haud pròcul ab ora intra continentem varios lacus prospiceret qui se in fretum *Californiæ* per emissaria exonerant, lembo exposito oram propius explorare & portus tentare consultum existimavit; verum oram vadosam, & ora emissariorum illorum haud satis alta deprehendit; Solum autem fertile & amœnum visum; quin & barbari aliquot hic conspecti & crebri passim ignes.

Haud procul hinc duo fluvii exeunt (duarum leucarum intervallo discreti) & tanto impetu perrumpunt fluctus, ut tribus à continenti leucis in ipso freto alveum servent; è lacubus autem illis prodire haud dubium est. Postero die leucas sedecim secundum oram navigarunt, in quarum medio sinus se aperit quatuor aut quinque leucas patens. Hic noctu in anchoris morati, & summo mane iter prosequentes versus Arctum, tria rursus emissaria lacuum sive stagnorum præternavigant; & mox anchoris jactis, (nam mare haud supra duas orgyas altum erat dimidiâ à continenti leucâ) lembum dimittunt ut ostiorum altitudinem periclitaretur. Hic aliquot barbari visi, herbæque virentes, ab iis quas Nova Hispania fert, non nihil diversæ; solum juxta littus quidem humile, sed interius in colles atque montes assurgens. Hinc sol-

ventes, cursum versus Corum dirigunt, secundum depresso illam oram; sex autem leucas proiectos, excepit Sinus circiter quinque leucas ambiens, à qua ora magis magisque ad Corum divergit, plana quidem illa, sed nequaquam tam amena quam antecedens: eodemque cursu ventum fuit ad Promontorium quoddam arenosum, quod *Cabo Roxo* dixerunt, ad altitudinem viginti novem graduum & quadraginta quinque scrupulorum versus Arctum: littus h̄c humile est & arenosum: in interiori regione paucæ atque humiles arbores & modici colles conspicuntur; tres quatuorve citra hoc promontorium leucas, fluvius effluit è lacu, navigiorum haud quaquam patiens ob brevia ori illius objecta: hinc jam recta ad septentriones nava gantes, valida tempestate ingruente, portum adierunt haud incommode, solo in ambitu illius depresso aut in modicos tumulos erecto.

Tribus ab hoc portu leucis, insula occurrit circiter leucam ambiens, atq; ex adverso illius alius portus, dupli ostio mare admittens, quem per septentrionalius os ingressi, decem aut duodecim orgyas in ipso aditu altum deprehenderunt, in recessu quinque, ubi plurimi visuntur sinus & portus, atque ingens piscium copia capi potest. Hic Præfectus anchoris jactis, in continentem exscendit, fixitque crucem & consue tis ceremoniis Regionem hanc Regi Hispaniarum habendam possidendumq; vindicavit. Piscatoria retia hic ab ipsis reperta & fragmenta quædam testarum industrie & more Hispanico efformatarum ex argilla: Solum in ambitu herbidum lœto gramine, sed nonnihil à Novæ Hispaniæ diverso; haud procul hinc colles & nemorosi montes 20 conspicuntur. Hunc portum egressis, cursumque versus Corum sequentibus, littus in editos montes sensim assurgere visum; & ingens multitudo avium conspecta in concavatibus petrarum nidulantium: Postero die à dextera lœvaque terram cernere cæperunt, ad sinistram autem sive occidentalem plagam varias insulas atque arduos scopulos utrimq; vero altissimos montes, Continentem ad lœvam magis magisq; se aperi ente. Haud leve hic certamen inter ipsos fuit exortum, aliis terram omnem quam inde à portu *S. Crucis* ad lœvam strinxerant, Insulam esse contendentibus, aliis vero Continentem & Novæ Hispaniæ partem opinantibus. Atque ita ora utrimque conspicua, ad promontorium quoddam deuentum, quod *Cabo de las Plaias* vocarunt, quia littus omne in tumulos assurgit, nullis arbustis, herbisve vestitos. Hinc proiectos 30 Fretum excepit ad Corum divergens, in ipsis faucibus duodecim leucas, uti videbatur, latum; duabusque insulis, quatuor leucarum intervallo à se invicem divisis, veluti conclusum; ora ad ortum jacens depressa aut tumulis quibusdam mediocriter edita erat; planiciemq; dividebant lacus & stagna: ad occasum vero elatior & nudis montibus prætexta; ingens denique ipsis freti altitudo, atq; incompta. Postero die xv leucas ad Arctum enavigarunt, sinumque offenderunt ingentem, qui supra sex leucas intra continentem per varios angulos & recessus irrumpit: proximo autem die decem leucas secundum littus præruptum & in altissima juga erectum: Hinc quindecim leucas versus corum littus raserunt, quod quidem planum erat & arenosum, interior vero regio montosa & tumulis atq; arenosis collibus modicè elata, raris arboribus vestita: ipso meridie scopulos aliquot, quatuor à continenti leucis, deprehenderunt, ubi terra procurrens angulum facit, hunc pone anchoræ jactæ: tota illa nocte valde pluit: sequenti die decem leucas proiecti, ad dexteram quidem raro colles sine arboribus conspicuntur, ad sinistram vero, quantum visu discernere licebat, frequentes atque arduos. Hic jam fluctuum color mutari cæpit, calcis instar candicans, ita ut admiratione percellerentur, haud segnius tamen versus Corum vela faciunt, & octo leucarum itinere confecto, alia Continentis pars visa fuit in Corum obversa & in altissimos montes assurgens; hanc legentes, quum transitum inter utrumque littus anxie scrutarentur, mare jam minus atque minus profundum, turbidum atque cænosum animadvertisunt, donec ad quinque orgyarum altitudinem ventum: hic autem fluctus 50 magno impetu continentem invadebant, & reciproco æstu singulis sex horis refluebant. Navarchus cum gubernatore è summo malo prospicientes, solum undiquaq; arenosum, & in ambitu conclusum animadvertisunt, littusque adeo depresso atque humile ut vix è propinquio discerni posset.

Quum itaque ulterius tendere negaretur, nullosq; mortales hic incolentes deprehenderent, vela vertere consultius judicarunt, & æstu relabente ad adversam plagam refe-

C. de las  
Plaias.

referuntur, ab uno latere Continentem, ab altero plurimas insulas intuentes. Hinc jam cursum ad Africū dirigunt, licet parum admodum promoverent ob nimiam malaciam; ad dexteram altissimi & nudi montes, ad sinistram plainies, & crebri ignes noctu visebantur. Postero die eundem tenentes cursum, amplissimum portū aperiunt, atque insulam angusto freto à continentē divisam, è qua densa fumorum nebula ascendebat, è puteis quibusdam exhalans, solo omni in circuitu ambusto: frequentabant hanc multi lupi marini. Atque hic barbarum quendam, qui cum pluribus aliis pescabatur, è fuga retraxerunt, prorsus nudum & Chichimecarum genti haud absimilem.

Hinc oram stringentes, insulamq; excelsam prætervecti, portū quendam subeunt, atque in terram exscent: hic humiles aliquot casas stramine tectas in venerunt, solum autem sterile & arenosum atq; aquarum indigum; portui huic s. Andreae nōmen inditum, & regio in possessionem Marchionis Vallenſis sub Auspiciis Regis Hispaniarum vindicata. Hic quoq; duo barbari visi statura paulò majori. Anglica versio constituit hunc portum ad altitudinem duorum supra triginta graduum versus Arctum. Ab hoc portu inter continentem & immensam insulam (quam circiter octuaginta leucas in longitudinem patere judicabant) cursum instituunt; die Dominico autem duodecimo mensis Octobris ad partem Continentis applicuerunt, multo amoenorem & gratiorem aspectu quam præcedens fuerat; hic aliquot tuguriola barbarorum visa, qui linter è cannis eleganter compacto, summo mane proprius ad naves accesserunt, verum quum ab Hispanis minime intelligerentur, statim recesserunt: mox & alii quinq; cum lintribus suis intra lapidis jaētum venerunt, sed ut proprius accederent nullatenus potuerunt induci, itaq; Hispani scapha celeriter exposita fugientes inseguuti, lebum quidem unum ceperunt, veruntamen barbarus exsiliit & natando atque urinando se subduxit. Aliquot deinde dies hinc proiecti rursus ad terram applicuerunt longe adhuc amoenorem & gratiorem aspectu, è qua crebri amnes in mare exibant, ubi & vestigia hominum & fructiferæ arbores observatæ, neque ultra quæsitum. Decimo septimo Octobris editissimum Promontorium superarunt & postero die ad portum s. Crucis redierunt, atque ibidem octiduum aquandi & lignandi gratia substiterunt. Atque hic quidem aliquot barbari ab ipsis visi, qui quum Hispani in terram exscenderent, statim fuga se in vicinum nemus receperunt.

## C A P . XIII.

*Navigatio ejusdem Francisci de Ulloa secundum Californiæ littus,  
quod ab Australi Oceano pulsatur.*

**S**UPERIORI capite Franciscum de Ulloa fretum Californiæ lustrantem sequuntur, cumque ad portum s. Crucis reduximus; nunc navigationem ejusdem secundum exterius Californiæ littus persequemur quod ab Oceano Meridionali pulsatur.

Vigesimo itaque nono Octobris ē portu s. Crucis solverunt, sed vento minus favente, ingens discrimen adierunt, altera navi cui s. Trinitatis nomen erat, vadis hærente & cum summa difficultate ægre servata; Hinc valida & tenebrosa tempestate cum nimbis & fulgurib; incumbente, vix octiduo Promontorium superarunt, non sine ingenti discrimine ob littoris vicinitatem: Septimo demum mensis Novembris tempestas remisit & secus oram continentis navigantibus amoenissimæ terræ sese aperuerunt: vernantes nitirum planicies & rarae silvæ; crebri quoque ignes noctu conspiciti, ex quibus terram hanc habitatam esse liquido constabat; Decimo autem ejusdem mensis, terræ facie nihil adhuc mutante, sejam quinquaginta leucas à Promontorio Californiæ proiectos subductis rationibus compererunt; nec dubium erat hanc quoque terram habitatam esse; sed ora præruptæ & fervens mare, & littus ob vehementem æstus reciprocationem periculosum, licet mari haud procul à littore quinquaginta orgyas alto, exscensionem prohibebant.

Ab undecimo Novembris ad decimum & quintum, vento vehementer adversante vix decem leucas promoverunt, navi Trinitatis totum triduum desiderata, rursusq; inventa. Decimo sexto ejusdem mensis apertias ē directo ipsis contrarius navigationem stitit; terra autem quam eminus conspiciebant, plana erat atq; campestris, quam

nocturni ignes incolis haud infrequentem arguebant, & barbarus unus cum suo lintre è longinquo illos aspectans, proprius accedere detrectabat: LXX jam leucas à Californiae promontorio processerant, sed aquilone vela explicare prohibente magnum frigus patiebantur. Hinc angulum terræ conspicati, & pone eundem anchoras figere & aquatum descendere parantes, ab aquilone valide perflante rejiciuntur in altum, & xx demum ejusdem mensis ad continentem reversi, sub altissimis montibus à venti vehementia defensi, anchoras jaciunt. Hic *Castellonus* navarchus cum sex sociis in terram descendit, ibidemq; offendit iv barbaros vastis corporibus, qui ad primum Hispanorum conspectum pernicissimo cursu se subduxerunt. Aquatum deinde secundo Decembbris, terraque lustrata fuit, quæ montosa erat & crebris scopulis cavernisque aspera & impedita. Post meridiem barbari magno numero in illos incubuerunt, tam inopinatò ut excubitores fallerent, pugnatum acriter, barbaris ingentem sagittarum & faxorum nimbum in Hispanos effudentibus, ita ut dux & duo milites sauciarentur; præcipuum auxilium in duobus molossis fuit, qui barbaros ita perterrituerunt, ut Hispanis acriter in illos procurrentibus, tandem terga verterent & ad suos sese recipierent; post illa barbari ingentibus pyris accensis paululum quieverunt, intempesta autem nocte ardentibus titionibus è pyris arreptis in diversa abierunt, Hispanis itidem ad naves suas remeantibus. Postero die sine ullo impedimento aquatio fuit absoluta; lustratusque intra continentem à Navarcho ingens lacus, qui ad minimum triginta leucas ambitu suo videbatur complecti, emissarium habens supra leucam latum, & tres & nonnusquam decem orgyas altum: juxta hunc tugurium barbarorum conspicientes, quum proprius accedere pararent, tanta exsiliit barbarorum multitudo, ut retro cedere & propere ad scapham se recipere cogerentur.

Portus S.  
Abad.

Dehinc ventum paulo faventiorem nocti, & decem leucas provecti, portum adierunt *S. Abad*, longe commodissimum & valde amœno solo incinctum; atque inde porro ad nonum usque Decembbris oram legentes, terram jucundo & vernanti aspectu, nonnunquam montes & rursus campos, pluresque amnes in mare descendentes offenderunt: postilla primum gelu & mox tanta tempestas inopinantes oppressit ut ruptis velis, & duabus anchoris amissis ad portum *S. Abad* se cogerentur recipere.

Aquatum hic descenderunt, sed barbaris prohibentibus, nihil ista vespera actum fuit: postero mane munusculis quibusdam barbaros deliniunt, verum quum aquatio jam absoluta, ad naves reverterentur, barbari primum ingenti clamore & tumultu plura poscere, & quum non obtinerent, mox sagittas in remiges ejaculari, Hispani vero duo tormenta è navibus in illos ejaculari, quæ res barbaros tantopere deterruit ut terga vertentes quam celerrime in vicinas sylvas se abderent. Notandum autem hosce barbaros, idioma alterius barbari quem Hispani inde à Promontorio Californiae secum duxerant ut illo interprete uterentur, neutquam potuisse intelligere.

Promot. S. Trinitatis.  
detenti, aura rursus obsecundante vela explicarunt, ad Calendas usq; Januarias anni 40 c<sup>15</sup> I<sup>5</sup> x<sup>1</sup> littus legentes humile & peramœnum, solo interiori sese in colles & sylvos montes, jucundissimo prospectu, sensim attollente; atque ita ad quintum usque Januarii navigantes ad altitudinem triginta graduum septentrionalium profecerunt, ubi acerrimum frigus experti, hyemem haud secus quam in Hispania suam vicem implere deprehenderunt. Decimo tertio ejusdem mensis aquandi gratia descensum in terram, sed adeo asperam & confragosam ut mirarentur illam ab hominibus, uti è vestigiis apparebat, habitari posse: ad ulteriora tendentibus, decimo octavo ejusdem mensis, speciosior terra occurrit, multiq; lintres barbarorum, qui naves cum summa admiratione intuebantur; sed Coro validius insurgéte ad Insulam *Cedrorum* sunt rejecti; (hanc Anglica versio ad altitudinem octo & viginti graduum & quindecim scrupulorū collocat) Aquæ autem penuria pressi, ad Continentem vela vertunt, & exscensione facta, indigenis nequicquam aquationem impedire conantibus, quos molossi facile in fugam agebant, omnia dolia impleta. Vix anchoras refixerant, quum ventus ab Arcto insurgens ipsis non modo adversus, sed & frigore suo infensus, ad Insulam Cedrorum coegerit reverti; ubi ad octavum Februarii substiterunt. Aqua & ligno abundat hæc insula, nec non piscibus, habetque stationem adversus incerta ventorum satis munitam.

Crebris

Insula de  
Cedros.

Crebris deinde tempestatibus exagitati & ingentibus periculis defuncti, ad vige-  
sum quartum usque Martii perdurarunt, verum tunc quum naves pene dehisce-  
rent, navales socii cæperunt tumultuari, & à præfecto suo *Francisco de Ulloa* importu-  
ne flagitare ut ad Novam Hispaniam reverteretur, verum ille propositi tenax, navi  
sua nonnihil refecta altum repetiit, nec quid illi postea acciderit hactenus est com-  
pertum, fluctibus haustum aut alio infortunio extinctum constans opinio est; altera  
autem navis non sine summo discrimine tandem incolumis ad Novam Hispaniam  
applicuit.

## C A P . X I V .

10

## Fratri Marci de Niza iter ad Cibolam provinciam.

**N**UNC è mari ad Continentem revertemur, & famosum *Marci de Niza* Fran-  
ciscani iter commemorabimus, cuius sane relationem præterire potuisse,  
utpote falsi in multis paulo post manifesto convictam, nisi sequentibus expe-  
ditionibus & navigationibus occasionem dedisset, neque piguisse *Antonium Herre-  
ram* atque alios suis commentariis illam inferere.

*Marcus* itaque de *Niza* cum socienno suo & *Nigrita Estevanico* (qui cum paucis Hi-  
spanis è tertia illa Hispanorum, duce *Pamphilo Narvezio*, in Floridæ provincias expedi-  
tione evaserat (uti supra retulimus) & barbaris aliquot qui Hispanicum idioma jam  
callebant, Anno à Ch. Nato c. 1529 ab oppido *S. Michaëlis* provinciæ *Culvacan*  
egressus, primo movit versus *Petatlan*, locum sexaginta, ut ipse numerat, leucarum in-  
tervallo à dicto oppido distitum, & ab indigenis ubique hospitaliter fuit exceptus.  
Hic sociennum suum ægrum relinquens, cum reliquis processit, & licet indigenæ, per  
quorum fines ipsi iter erat, summa annonæ penuria laborarent, utpote qui integro  
triennio parce admodum sementem fecerant, nihil tamen ipsi defuit. Triginta porro  
leucarum itinere nihil memorabile ab ipso observatum fuit, præterquam quod Insu-  
lares quidam barbari ad ipsum venerunt ab Insula jam ante à Marchione Vallensi visa  
& lustrata, itemque ex altera paulo remotiore, qui fragmenta quædam concharum  
Margaritiferarum circa cervicem gestabant, & Margaritarum copiam apud Insulam  
suam reperiri testabantur (licet nullas ipsi exhiberent) pluresque minores insulas  
juxta sitas esse, quæ vili atque inopi popello incolerentur.

Hinc per desertum quatridui itinere cùm plurimis barbaris, qui illum sponte co-  
mitabantur, profectus, alias rursus barbaros obvios habuit, qui non tantum ad Euro-  
pæorum habitum, quos numquam antea viderant, stupebant, sed & barbaros tanta so-  
litudinis intercapidine sibi prorsus incognitos admirabantur. Hic cù summa venera-  
tione fuit exceptus, indigenis barbaris non tantum large commeatum præbentibus,  
sed & vestimenta illius superstitione contrectantibus, ipsumq; *Hayotam*, id est, divinum  
virum appellantibus. Ipse Veri Dei & Cæsaris cognitionen ipsis per interpretes præ-  
dicabat: illi autem vicissim narrabant, quatridui à suis finibus itinere versus medi-  
terranea, latissimam planiciem habitari ab indigenis, qui & vestibus induerentur &  
aures atque nares lapillis quibusdam viridi colore ornarent; illo denique metalli ge-  
nere abundant, quod ipsis ostenderat (id autem erat aurum) ita ut & vasis aureis  
uterentur & templorum suorum parietes aureis laminis incrustedarent; veruntamen  
quia jesus erat haud longe à mari intra continentem divergere, iter ad illam provin-  
ciam distulit. Dehinc quatridui itinere per eorundem populorum fines confecto, ve-  
nit *Vacapam*, circiter quadraginta leucas distantem à mari, ubi festo paschatis substitit *Vacapa*.  
& Americanos quidem qui illum comitabantur tribus diversis itineribus dimisit ad  
mare, Nigritam autem recta ad septentriones, mandans ut simul ac quid ma-  
gni aut memorabilis offendisset, se se per nuncios certiorem faceret. Vix quatriduo  
præcesserat Nigrita, quum nuncius ab ipso advenit obnixe flagitans ut sequi propera-  
ret, famam enim amplissimæ provinciæ, quæ *Cibola* vocaretur, ad aures ipsius accidisse,  
nec longius illam quam triginta dierum itinere abesse; illic septem ingentia atq; incolis  
frequētissima oppida uni Principi parere, oppidanos vestibus uti, domos è lapidibus &  
cæmēto affabre constructas & conjunctim dispositas esse, superliminaria portarū cya-  
neis gemmis, (*Turcoides* vocant) ornata, Americanus qui à Nigrita venerat, narrabat.

Eodem tempore qui ad mare requirendum missi fuerant, reversi retulerunt triginta quatuor insulas à se visas, & insulares aliquot adduxerunt, qui parmas aliquot bovillo corio obductas, quibus totum corpus tegebant, Monacho obtulerunt. Venere & tres barbari ab orientali plaga, peccus atque brachia picti, (unde illos *Pintados* appellavit) qui se septem illorum oppidorum vicinos ferebant. Atque his assumptis iter quod Nigrita indicaverat persequi cœpit, & mox alios atque alios nuntios obvios habuit, qui rogabant ut properaret, famam enim *Cibola* & trium regnum *Marata*, *Acus* & *Tonteac* in dies increbescere & confirmari; quod & major crux quam Nigrita fixerat indicabat: majoribus itaque itineribus profectus, quem jam bidui itinere abesset à deserto, ad cuius exordium Nigrita se præstolaturum promiserat, incidit in locum per amenum, arvis satisque undique cinctum, quæ fossis rigabantur: incolæ autem ipsi obviati processerunt gossypino panno & taurinis tergoribus amicti; Regulusque illorum gossypina tunica indutus & cyaneis gemmis ornatus, varia monacho munera obtulit, quæ refutavit. Vestimento autem illius contrectato narrabant barbari, ejuscemodi pannos maxima copia in regno *Tonteac* texi è villis bestiarum, quæ canum venaticorum, quales Nigritam secum ducere viderant, molem non excederent.

Hinc desertum quatridui itinere emensus, vallem frequentissimam incolis intravit, qui ad eundem modum vestiti erant & cervicem, auriculas atque nares eisdem gemmis ornati, quique *Cibolam* haud secus noverant, quam Novæ Hispaniæ incolæ urbem *Mexico*, nec pannos *Tonteacenses* ignorabant. Quumque haec enus littus maris recta ad Arctum vergere observasset, illud lustrare voluit & ad altitudinem sex & triginta graduum in occasum se flectere deprehendit. Deinceps per eandem vallem iter quinque diebus prosecutus, in *Cibole* civem incidit; qui Præfectum, quem dominus septem oppidorum ibidem constituerat fugiebat: Erat autem is ingenio minime barbaro, monachumque comitari avebat; ut illius intercessione veniam à Præfecto impetraret: Urbis illius situm uti & vicinarum disertè explicabat, metropolim appellari *Ahacum*, ad occasum *Marata* regnum situm esse, olim quidem incolis frequentissimum, nunc autem bellorum injuria multum imminutum: *Tonteac* huic proximum esse, regnum opulentum cuius indigenæ pannis uterentur. In hac valle denique tergus dono accepit, taurino duplo majus, animali longis villis testo, colore damæ, detractum; quod animal ut ipsi narrabant, cornu incurvum in fronte gestaret, è quo alterum enaseretur rectum, præcipuum hujus feræ robur. Itaque vallis hujusce possessione Regi Hispaniarum vindicata, postquam triduum hic incolarum rogatu fuisse commoratus, cum magno barbarorum comitatu, largoque commeatu, solitudinem quam quindecim dierum itinere hanc vallem à *Cibola* provincia dividere cognoverat, ingreditur nono May, latam tritamque semitam inventiens, & crebra pyrarum vestigia, quas viatores hic construere solent: Duodecimo autem die unus Nigritæ comitum ad ipsum venit, tristis atque trepidus, qui animo paulum confirmato narrabat, *Estevanicum* quum jam *Cibola* finibus appropinquasset, cucurbitam suam tintinabulis quibusdam & candida rubraque pluma ornatam, per nuncios ad Præfectum urbis præmisisse adventus sui indicem; verum Præfectum conspecta cucurbita tantopere excanduisse ut illam projiceret in terram & nuncios facessere & ipsorum Dominum quantocius è finibus suis excedere juberet, ni facerent, omnes ad internectionem se deleturum: Nigritam vero illo nuncio haudquam territum processisse, verum non modo aditu urbis prohibitum fuisse, sed & omnibus impedimentis, cyaneis gemmis, aliisque exutum, profugere coactum: se quidem siti pene exanimatum ad vicinum fluvium se subduxisse, quo & Nigritam fugere, & socios illius ab indigenis misere trucidatos observaverit. Hæc narratio barbaros qui Monachum comitabantur, supra modum consternavit, itaque illos confirmare & nuntio fidem derogare nequicquam conatus, precibus ante conceptis, sarcinas omnes reserat, & inter primarios dividit, orans atque obtestans ut se porro sequerentur: Quum ergo processissent & jam unius tantum diei itinere à *Cibola* abessent, alii duo è Nigritæ comitibus occurrerunt pene exanimati, & multis vulneribus saucii, qui præcedenti relationi consentanea retulerunt, & ultra trecentos suorum cęsos, ipsumq; Nigritam haud dubio trucidatum esse, barbarosq; ita denuo per-

pēterruerunt, ut monachus anxius & quid porro ageret incertus paulum secederet ē turba, & precibus conceptis ad comites regressus, blanditiis atque munusculis illos placare niteretur, verum nihil proficiens & à Mexicano quodam monitus, barbaros ob suorum stragem, quam ipsi & Nigritæ imputabant, efferatos extrema ipsi minari, monere barbaros cœpit nequid secius in ipsum admitterent, exiguum enim ipsis in sua cœde solatium fore, neque impune laturos, Christianos enim haud dubio vindices adfuturos. Quum his atque similibus dictis barbaros nonnihil commovisset suadere institit ut aliquot suorum dimitterent exploratum, ut certiora de suorum & Nigritæ cœde cognoscerent, verum quum non persuaderet, ipse cum paucis processit, donec in conspectum *Cibola* ventum fuit, quam dicit ad radicem montis in planicie sitam esse, Mexico paulo majorem, & lapideis ædificiis atque tectis affabré constitutam: ut proprius accederet aut urbem ingrederetur inconsultum ipsi visum, ne si quid humanitus ipsi accidisset, tam nobilis oppidi notitia Hispanos penitus lateret; itaque saxis aliquot in cumulum coacervatis & cruce imposita, provinciæque dominio Regi Hispaniarum vindicato, via qua venerat est regressus, & deserta rursus emensus, planicieque quam ante præterierat obiter salutata, primo ad oppidum *S. Michaëlis* & mox *Compostellam* repedavit, atque itineris sui descriptionem ad Novæ Hispaniæ Proregem misit.

Hactenus Fratris *Marci de Niza* relationem compendio prosequuti sumus, è qua liquido constare poterit, quam fluxa sit ejusmodi fraterculorum fides, qui non raro à barbaris sibi narrata & plerumque minus intellecta, ut visa referunt, atque ita fallunt eos, qui ipsorum dictis fidem adhibentes, longinqua itinera suscipiunt, uti *Fran-*  
*cisco Cornado* atque adeo ipsi Proregi accidisse jam narraturi sumus.

## C A P . XV.

Francisci Vasquii de Cornado *expeditio in Cibolam & vicinas provincias.*

**A**ntonius de Mendoza Novæ Hispaniæ Prorex, superiori illa Monachi relatione in ingentem spem erectus, *Francisco Vasquio de Cornado* Novæ Galæciæ præfecto mandat ut primo quoque tempore in illas regiones expeditionem susciperet: Ille coactis centum & quinquaginta equitibus quorum multi binos equos ducebant, & ducentis peditibus bene armatis, cum campestribus aliquot machinis, magno belli apparatu, pecorum atq; porcorum grege, largo deniq; commeatu, mense Aprili anni cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup> xl è *Culvacan* profectus, quatuor dierum itinere ad flumen *Pecatlan*, & deinceps triduo ad *Cinaloam* pervenit, ut *Herrera* scriptum reliquit: Unde d. 6. l. 9.  
c. II,  
deinceps iter suum instituit, quemadmodum ipse narrat in hunc modum.

Triginta (inquit) leucis ab eo loco quem Pater provincialis tantopere in sua relatione prædicaverat, *Melchiorem Diazum* cum quindecim equitibus præcedere jubeo, & quam maximis itineribus ad provinciam contendere, illamque penitus perlustrare: hic quatriduum per aspermos montes eluctatus, neq; annonam neque ulla oppida se reperiisse præter duos tresve inopes pagos viginti aut triginta humilium casarum, quorum incolæ narrabant ulterius nihil restare præter fragosos & incultos montes & meram solitudinem, uti ad exercitum reversus retulit, qui prima hac spe tam insigniter fraudatus haud modice conturbabatur; Veruntamen non hujus potissimum regionis lustrandæ gratia hoc iter suscepimus esse, apud ipsos concionatus, aliam laborum metam in ditissimis illis provinciis subjugandis proponi, tandem persuasi ut procederent. Hic rursus impeditissimum iter & nonnunquam præruptum experti, fidem monachi obtestari cœperunt, qui plana omnia & expeditissima promiserat, multosque montes præter paucos colles obstare qui vix dimidiam leucam occuparent: Contraria autem omnia accidebant ita ut ne animalia quidem & pecora asperitatem montium ferrent, sed pleraque præ lassitudine deficerent. Tandem vigesimo & sexto May ad vallem *de Corazones* ventum (*Arroya de Corazones* vocat *Herrera*) cœteris provinciis quas hactenus transierant longe frequentiorem.

Hic largam quidem sementem, sed Mayzii maturi peregrinum penu invenimus: itaque eundem *Diazum* ad vicinam vallem *de Sennora*, ut jam à nostris vocatur,

mitto ut permutatione quarundam mercium Mayzium ab incolis compararet; atque ita barbaris nostris & tenuioribus militibus opportune subventum, qui jam annonæ penuria laborabant.

Hanc vallem quinque dierum itinere à mari occiduo abesse intellexi, & barbaris qui maritima accolunt accersitis, haud longe à littore septem aut octo insulas habitari à gente bruta & annonæ indiga, nuperque hic navem grandem conspectam fuisse, accepi.

Chichil-

ticale.

Quatriduum in hac valle moratus, castra movi, quumq; me magis magisq; ad mare accessorum opinarer, longius ab illo recessi, adeo ut quum jam Chichilticale attigissem, quindecim dierum itinere à mari me abesse deprehenderem, licet Monachus tantum quinque leucarum distantiam prodiisset, seque mare è longinquo vidisse fuisset mentitus: quæ res nos pessimè habuit. Chichilticale tantum biduum substi, ob pabuli inopiam, licet equorum lassitudo longiorem moram flagitaret, & solitudinem ingredior vigilia S. Ioannis, in qua nulla equis pabula, sed viam longè difficiliorē reperi, ita ut multi equi deficerent nec non aliquot Americani & Nigritæ atque unus Hispanus. Dein præfectum castrorum cum quindecim equitibus speculatum præmittō, qui dextre officio suo functus iter exercitui expeditius reddidit. Triginta denique leucarum itinere per invios saltus & aspermos montes confecto, regionem ingredimur multis amnibus riguam & pabulo abundantem ab Europæo haud multum diverso, multis moris, juglandibus (sed frondibus à nostratis non nihil diversis) refertam; jamque unius diei iter eramus emensi, quum quatuor bābari inermes obviam venerunt, qui se præmissos dicebant ut nobis adventum felicem gratularentur, postero die plures cum annona adfuturos: quibus auditis, rogavi ut oppidanos bono animo esse juberent, neque oppidum deserere, me enim Regis mei mandato advenisse ut ipsos adversus hostes ipsorum defenderem: Simulque præfectum Castrorum præmisī ut aditus omnes exploraret & si quem difficultorem reperisset, eundem occuparet ne à barbaris præriiperetur: repperit autem unum longe impeditissimum, quem si barbari insedissent, magnum utique impedimentum potuissent objicere; commodum autem à præfecto præreptus fuerat, quum barbari sub noctem accederent, qui quum in vigiles nostros incidissent, statim retrocesserunt. Postero mane castra movi & annonæ penuria cogente celeri passu ad oppidum admovi & ne quid intentatum relinquem religiosos aliquot præmisī qui oppidanis persuaderent me nequaquam venisse ut aliquid damni ipsis adferrem, sed ut ipsos adversus omnes hostes tuerer, modo religionem nostram amplecterentur & se vasallos Regis Hispaniarum agnoscerent; Verum illi paucitatem nostrorum vili-pendentes tanto animosius arma corripiunt & nos ultro aggrediuntur; repressi tamen adhuc meos, mandati tui & Marchionis memor, donec audacia barbaris in tantum crevit ut pene turmis nostris miscerentur & saxa atque jacula pedibus equorum nostrorum acciderent; tunc non ultra cunctandum ratus, religiosis idem censentibus, in barbaros invehor & primo impetu conjicio in fugam: pars in oppidum recepti, reliqui per agros palantes dispersi, pauci interfecti, nam quantocius ad oppidum copias admovere fames suadebat; itaque balistarios & sclopetarios primum vallo succedere imperavi, ut defensores propellerent atque dejicerent; verum parum profecit hic conatus, nervis arcuum fatiscentibus & sclopetariis præ lassitudine statim remittentibus; barbari interim saxis & jaculis nostros petebant è vallo, ubi ipse magnum discrimen adii, bis saxo ictus & humi prostratus, vulneratusque ita ut pugna excedere sim coactus; nihilominus barbaris sensim cedentibus, tribunorum & militum nostrorum virtute oppidum cepi & in eo tantam Mayzii copiam repperi, ut necessitati nostræ abunde sufficeret. Hactenus è commentariis ipsius Francisci Vasquii de Cornado hanc expeditionem compendio retuli, nunc reliqua ex Herrera decadibus subjungam.

Tuyacā. Quinque (inquit) dierum itinere à Cibola versus Aquilonem adierunt provinciam Tucayan, in qua septem sunt municipia satis frequentia, quæ septem illæ civitates videntur quarum frater Marcus de Niza meminit. Ad Cibolam usque omnes torrentes atque amnes versus occasum labuntur & haud dubio in mare Australe, ulteriores ad oceanum septentrionalem descendunt.

A *Tucayan* ad flumen *Huex* ventum, cuius ripis viginti leucarum spacio quinde- *Huex* fl.  
cim municipia adscident, domiciliis inter se junctis & affabre constructis, in quibus &  
tepidaria quæ vulgo *Stuvas* appellamus, sub terra constructa adversus hyemis vehe-  
mentiam. Hoc flumen à Coro ad Eurum devolvitur, ita ut omni dubio procul in  
septentrionalem Oceanum exeat. Septem ab hoc dierum itinere versus boream *Ci-* *Cicui-*  
*cuique* flumen attigerunt, & aliorum quinque campestria sunt ingressi in quibus tauri que fl.  
& vaccæ gibbosæ pascuntur: Indigenæ tugutiola sua longuriis in conum desuper  
connexis componunt, & taurinis tergoribus adversus aëris injurias muniunt; neque  
ullas præter hæc armenta divitias noverunt; his vescuntur, horum exuviis amiciun-  
tur, his deniq; omnia ad vitam humanam necessaria explent; canes præterea habent  
grandiusculos, quibus pro juméatis utuntur, quoties sedes mutant. Americanus interea  
qui viam monstrabat, sua ne malitia an alieno impulsu incertum, in uliginosa loca &  
riguos campos à recto tramite Hispanos abduxerat, futurum sperans ut annona omni  
adesa in solitudine fame perirent: jamq; octiduum processerant quum ab altero bar-  
baro fraudis hujus atq; periculi admonentur, nec tamen ante substiterunt quam (vi-  
gesimo tandem die) ad alterum pagum ventum esset, cuius Regulus ætate gravis &  
jam cæcus, se quatuor Christianos ante aliquot annos vidisse meminerat.

Hic *Vasquio* consultius visum cum viginti novem equitibus ulteriora lustrare, &  
reliquas copias ad priora stativa remittere. Progreditur itaque triginta diebus recta  
versus Arctum, sed haud magnis itineribus, per aquosa loca & eisdem gibbosis  
animalibus plena, donec ad flumen pervenit cui *s. Petri & Pauli* nomen indidit: hoc  
transmissio secus ripam descendentes versus aquilonem, tertio demum die inciderunt  
in barbaros venationi intentos, à quibus tam hujus quam remotoris provinciæ *Haræc* *Haræc*,  
statum edocti, *Quiviram* usque processerunt, atque ibidem majus quidem flumen,  
pagos vero barbarorum pene unius modi repererunt. Salutato denique Regulo qui  
vir erat procero & bene composito corpore, quum nihil tanto conatu dignum repe-  
rissent, & Augusto jam inclinante, ne à nivibus & fluviorum inundationibus interci-  
perentur, metuerent; mature de receptu cogitandum existimarunt. *Vasquium* de-  
nique ad exercitum jam reversum casus afflixit, itaque plerasque copias primo ad  
30 *Calvacan*, deinde in præfecturam suam reduxit.

## C A P . XVI .

*Cibolæ provinciæ situs, cœli solique qualitates à Francisco  
Vasquio de Cornado observatae.*

**S**UPERIORI capite *Francisci Vasquii* iter descripsimus, nunc ejusdem literas  
ad Proregem adjungemus, è quibus regionum situs & qualitates clarius eluce-  
scent. Restat jam (inquit) ut Nobilitati tuæ perscribam, septem illorum oppido-  
rum situm & regnorum illorum statum, de quibus Provincialis tam magnifica nar-  
ravit.

Primo serio affirmare possum, Monachum illum omnia pene præter rei verita-  
tem retulisse, neque quicquam veri narrasse præter oppidorum nomina & ædium  
structuram; licet enim nequaquam cyaneis gemmis sint ornata aut è lateribus &  
camento coagmentata, tamen per pulchra sunt & tribus quatuorve contignationibus  
substructa, multis atriis & cubiculis distincta, & caveis subterraneis adversus hye-  
mis inclemantium instructa. Septem autem illa oppida sunt totidem exigua munici-  
pia, quatuor ad summum leucarum intervallo à se invicem distantia, quæ conju-  
ctim Regnum *Cibolæ*, singula vero propriis nominibus appellantur. Municipium in  
50 quo jam moramur, quod ob similitudinem & ad tui memoriam *Granadam* appellavi,  
circiter ducentis constat domiciliis præter alia hac illac per agrum sparsa pene tre-  
centa. Huic vicinum est oppidulum paulo majus circiter quingentarum casarum:  
tertium primo æquale: reliqua quatuor paulo minora; singula in membrana quam  
hic repperi, depicta mitto. Indigenæ harum regionum statura sunt justa, & pro  
captu barbarorum satis ingeniosi, non tamen ea videntur industriæ, ut ejusmodi  
ædificia struxisse verisimile sit: nam fere nudi agunt aut pudenda leviter testi, &  
varie-

variegata pictaque pallia gestant, qualia mitto. Gossypium hæc tellus nequaquam fert ob frigoris vehementiam, nihilo tamen minus hic illius copiam reperi. Capillos capitis in Mexicanorum modum componunt: Cyanearum gemmarum magnum numerum videntur possidere, verum illas ante nostrum adventum cum reliqua supellestile, penu tantum excepto, alio subduxerant: neque in oppido ulla fœminas aut infantes offendimus, ne senes quidem præter paucos, qui cæteris regendis relicti videbantur. Inter spolia fragmenta quædam smaragdorum, crystalli, aliarumque viliorum gemmarum capta, quæ ministri mei negligentia perierunt. Gallopavorum hic magna est copia, quibus tamen se in cibis uti pernegant indigenæ, & plumarum tantum gratia alere perhibent: quod mihi non fit verisimile, sunt enim Mexicanis 10 longe majores & meliores.

Temperies aëris æstate à Mexicano cœlo non multum differt, nam interdum hic æstuat, interdum pluit, licet semel tantum hic pluviam viderim eamque vehementiorem & nimbo similem. Nives altas, geluque acerrimum hic hybernis mensibus tolerari, indigenæ fatentur, & clyma arguit, ipsaque ædium structura indicat; nec non pelles, aliaque quæ indigenæ adversus frigus parata habent.

Nullæ hic arbores sunt quæ fructus ferant; solum ipsum humile & pene æquale, nonnusquam tamen raris montibus, eisque aspermis impeditum. Paucissimæ hic volucres & raræ sylvæ; una tamen quæ circiter quatuor leucis ab oppido distat, humilioribus cedris confita, materiem foco abunde subministrans. Pascua haud longe 20 absunt, quæ & lætum gramen, & fœnum equis nostris peropportune præbent, quos macies & lassitudo mirum in modum afflixerat.

Frumentum indigenarum est Mayzium, quo abundant; uti & pisis per exiguis & candidis; ferina quoque, qua tamen se vesci negant, licet multa cervorum tergora hic invenerimus, uti & pelles leporum atque cuniculorum. Longe optima liba coquunt è Mayzio; quod tanta industria hic molere & conterere neverunt, ut una fœmina hic plus operis conficiat, quam in urbe Mexicana quatuor. Salem usurpant præstantissimum; quem colligunt ad ripas lacus qui unius diei itinere abest. Cæterum neque Septentrionalem neque occiduum Oceanum neverunt, utri autem viciniores haud facile dixerim, licet multæ rationes suadere videantur, occiduo propiores esse, à quo tamen haud minus centum quinquaginta leucas absunt, sed ab Arcto haud dubio longe plures: è quo colligere promtum est quanta sit hujus Continentis amplitudo.

Feræ hic variæ reperituntur, ursi, tigrides, leones, herinacei, & oves quædam equorum magnitudine, brevi cauda, cornibus ingentibus, quarum aliquot vidi ad miraculum vastas: capræ præterea silvestres, apri, denique maximi cervi. Indigenæ octo dierum itinere ad campestria proficiscuntur versus arctoam plagam, indeque reportant taurina tergora bene præparata, eleganterque picta.

Tōteac. Regnum Tōteac vel Totonteac, quod Provincialis noster tantopere celebrat, tantum lacum esse calidum narrant indigenæ, cuius ripis olim quidem plura tuguria assidebant, nunc vero tantum paucula & injuria bellorum valde infrequentia.

Marate. Maratæ regnum hic penitus ignotum est. *Acus* est exiguum oppidulum, ubi perparum gossypii nascitur, quod hi barbari nominant *Acucu*. Ulterius tendentibus aliquot pagi occurunt ad ripam fluminis siti, quorum aliquot vidi, alias ex barbarorum relatione accepi. Hactenus *Franciscus Vasquins*, uti oculatus testis, haud dubio veram harum regionum faciem descripsit.

### C A P. XVII.

Quiviræ Provinciæ situs, indigenæ, animalia, alia-  
que è Gomara.

**Q**VIVIRÆ regionem describit Gomara in hunc modum: Regio omnis quæ à Cicuic ad Quiviram usque extenditur, planissima est, nullis arboribus vestita, nullis saxis aspera: rari atque exigui pagi & incolarum summa infre-

infrequentia: mares taurino corio non tantum pedes sed & reliquum corpus mu-  
niunt: fœminæ autem, quibus capillos quam longissimos alere summum decus est,  
iisdem non modo capita sed & pudenda velant: Destituuntur prorsus omnis generis  
farre, vescunturque carnibus, ut plurimum crudis, sive ita assuevere seu lignorum  
inopia; adipem è visceribus recenter extractum avidissime devorant: Sanguinem  
hauriunt & calentem sine noxa (licet antiqui id fieri posse negaverint) & frigidum  
atque aqua dilutum: quumque ollis destituantur, carnes interdum assant vel potius  
ad flammatam, quam ex arido fimo eliciunt, torrent: easque diglutiunt potius, quam  
masticant aut dentibus conterunt: dentibus quippe apprehensas, præacutis silicibus  
dividunt, atque brutorum in modum dilaniant. Gregatim quidem degunt, sed  
nullas fixas habent sedes, Scytarum more crebro migrant, prout aut anni tempe-  
stas cogit, aut pabuli copia invitat.

Armenta illorum tauris Europæis magnitudine & colore haud absimilia, cor-  
num magnitudine superantur, sunt enim ipsis parva, fere recta & præacuta: in eo  
maxime differunt quod gibbum habeant inter scapulas, & pilos laneos, anteriori  
quidem parte corporis longiores quam posteriori: & supra collum atque spinam  
dorsi jubatum instar crispantes: Pilos quotannis mutant, qui fere nigri sunt, & raro  
albis quibusdam maculis distincti: crura brevia inde à genibus longis villis testa sunt,  
qui & frontem inter cornua obvelant, sub jugulo autem ita propendent ut barbam  
20 hircinam æmulentur: mares caudam habent oblongam, & ad extremitatem villo-  
sam; ita ut quædam cum Leone, quædam cum Camelô communia habeant. Cornu  
feriunt, & si quando rabies illos  
cœpit, aut si irritetur etiam equos  
trucidant. Animal denique de-  
forme est, torvum teturumq; aspe-  
ctu, ita ut equi occursum illius  
horreant, ob deformitatem, an  
novitatem, incertum. Præter  
hæc animalia nullas præterea di-  
30 vitias neverunt barbari; hæc ipsis  
cibum potumque subministrant;  
(caro autem optimi est saporis)  
tergoribus illorum corpora sua  
pariter atque casulas muniunt; è  
laciniis eorum funes contorquent; ossa illis stilos; nervi villique funes; cornua bucci-  
nas; vesicæ utres; simus denique siccus somites præbet. Effigiem hujus animalis ex-  
hibuit *Gomara*, quam hic apponimus.

Sunt & alia hic animalia equorum magnitudine, quæ quia lanigera & cornu-  
ta sunt, à nostris appellantur Oves; cornua interdum libras quinquaginta dicuntur  
40 pendere. Itemque ingentes molossi, quos & tauris committunt, illisque quum aut  
venandi aut domicilia mutandi gratia iter faciunt, onus quinquaginta librarum  
imponunt.

*Quiviram* porro tam *Gomara* quam *Antonius Herrera* ad altitudinem quadragin-  
ta graduum septentrionalium constituunt; temperiem aëris, aquarum bonitatem,  
camporum amoenitatem satis laudant; cerasos, moros, nuces, vites denique & me-  
lones tribuunt.

Operæ pretium autem fuerit *Gomaram* hic audire, qui *Cibolæ* provinciam ad al-  
titudinem septem & triginta graduum & triginta scrupulorum collocans (ita habet  
versio Gallica, cum in Hispanico exemplari diserte triginta gradus & semissis ponan-  
50 tur) *Francisci Vasquii de Cornado* iter ita porro describit. Milites *Vasquii* (inquit)  
quum regiones hisce tam infrequentes incolis, & tam inopes deprehenderent, mo-  
nacho supra modum indignabantur, qui tam magnifica de hisce terris prædicaverat:  
itaque ne inopes & nullo operæ pretio facto, in Novam Hispaniam reverterentur,  
ulteriora lustrare in animum inducunt, præsertim quia barbari longe meliores ter-  
ras haud procul inde jacere testabantur: *Acuco* munitissimo & edito loco copiæ ad-  
motæ: *Garcias Lopez de Cardenas* cum turma equitum missus ut mare requireret:

Ipse



Tiguez. Ipse *Vasquius* cum reliquis copiis movit versus *Tinez* ad magnum fluvium situm. Hic Axxæ & *Quiviræ* fama auribus illorum accidit, narrantibus barbaris *Quiviræ* dominari regem *Tatarax*, virum barbatum, colore candido & opibus affluentem, qui in capella crucem & reginam cælorum adoraret. Hæc divitiarum fama facile milites pellexit ut procederent, licet non pauci falsa hæc & monachorum commenta haud frustra suspicarentur. Barbari interim qui Hispanos hactenus sequuti fuerant, una nocte omnes in diversa aufugerunt, quæ res exercitum haud modice perturbavit. Promota tamen castra, & municipium in itinere captum, direptum atque concrematum: deinceps in alterum impetus factus, aliquot milites desiderati, & quinquaginta equi vulnerati, *Franciscus* quoque *Obandius* captus & intra oppidum abreptus, incertum an idolis ab ipsis immolandus, an ut plenius de advenarum statu cognoscerent; atque hoc magis credibile visum, neque enim hactenus in hisce regionibus observatum fuit barbaros humanis hostiis numina sua placare. municipium itaque corona cinctum, sed vix quinto & quadragesimo die potuit expugnari. Oppidani quum de se actum animadverterent, primum pallia sua, cyaneas gemmas, & quicquid alicujus pretii possidebant conjiciunt in ingentem pyram, dein fœminis & pueris in medium agmen acceptis, magno impetu erumpunt; sed pauci admodum evaserunt, reliqui aut ferri acie fuerunt consumti, aut ab equis conculcati aut vicino fluvio hausti: Hispanis quoque haud incriuenta victoria fuit, septem militibus cæsis, octuaginta vulneratis, & plurimis equis desideratis: pauci denique barbari intra oppidum reiecti, tantisper fortiter restiterunt, donec Hispani ignem in ædes injicerent, & flamma obvia quæque depasceretur. Hyems erat, & fluvius tam valida glacie astringebatur, ut equos ferret. Nives hic admodum altæ, & pene semestres: æstate tamen hic præstantes melones nasci, atque etiam gossypium produnt authores, è quo indigenæ pallia sua texunt.

Cicuic. A *Tiguez* quatridui itinere ventum *Cicuic* exiguum municipium, à quo circiter duodecim leucas digressi, novam speciem vaccarum offenderunt, quarum octuaginta mactarunt, insigni exercitus levamento. Porro à *Cicuic* ad *Quiviram* nongenta millaria numerant: iter agitur per vastam & infœcundam planiciem, in qua neque saxa, neque arbores, atque adeo nec herbæ reperiuntur; itaque itinera & stationes, stercore illarum vaccarum in cumulos aggesto, signare cogebantur, ne in reditu à recto tramite aberrarent: & jam farre omni destitutis pereundum hic fuisset, nisi vaccæ cibum præbuissent, quæ per hos campos ingenti numero vagantur. Ventum denique *Quiviram*, & *Tatarax* inventus, vir quidem candido colore, prorsus nudus, cuique nihil prorsus divitiarum erat, præter unam lamellam æneam, quæ à collo illius ad pectus dependebat. Hispani tam insigniter spe sua frustrati, quantocius ad *Tiguez* revertuntur, ne vestigio quidem ullo Christianæ religionis apud *Quivirensem* deprehenso. Et demum anno clo I° xlii redierunt in Novam Hispaniam.

Quivira. Pleraque hodie Tabulæ Geographicæ hanc provinciam *Quiviram* submovent ad extremum pene angulum *Californiae* versus occidentem: Quam tamen *Herrera* diserte testatur ducentas leucas à *Cibola* versus ortum divergere; quod & itinerum ratio, quæ modo descripsimus, postulat, & Lusitani cujusdam à *Quivira* per *Chichimecarum* terras in *Panuci* provinciam redditus omnino videtur exigere. Insignem itaq; hic errorem in Tabulis admisum esse facile suspicatus sum, neque tamen me extricare potui; præsertim quum veterem tabulam unam in pergameno eleganter descripatam vidisse, quæ *Californiam* in ingentis Insulæ modum à continente septentrionalis Americæ divideret: opinabar autem huic errori forte occasionem dedisse, quod à *Gomara* narratur, Hispanos illo tempore naves quasdam juxta littora vidisse variis mercibus onustas, quarum proræ avibus deauratis erant ornatæ, quas è *Catayo* aut *Sinarum* regno venire suspicabantur. Sed nuper admodum vidi relationem quandam *Alfonsi de Benavides Franciscani*, de qua mox plura dicam, in qua duæ provinciæ *Quiviræ* commemorantur, quarum una à Nova Mexicana discedat ad occidentem, altera ad orientem: quicquid sit de priore illa versus occidentem (nam fides hujus Franciscani apud me levior est) posteriorem hanc ad orientem, omnino veram esse *Quiviram* mihi persuadeo. Nam *Gomara*, ut supra, narrat post irritam illam *Francisci*

10 *isci Vasquii* expeditionem , Fratrem *Ioannem de Padilla* cum altero Franciscano & duodecim barbaris Mechuaicanis, itemque *Andrea de Ocampo* Lusitano in provincia *Tiguez* aliquandiu substituisse, & secundo inde ad *Quiviram* profectum; monachosque ab indigenis trucidatos , Lusitanum autem cum paucis Mechuaicanis evasisse & post decem mensium captivitatem & longos errores tandem per *Chichimecarum* terras *Panucum* rediisse. *Benavidius* denique hanc *Quiviram* collocat ad trigesimum septimum gradum ab *Æquatore* versus *Arctum*; scribitque hanc provinciam (cujus incolas vocat *Aixaoros*) argenti atque auri metallis abundare, & haud longe abesse à finibus earum provinciarum, quas jam Angli & Belgæ coloniis occuparunt; quos à barbaris istis multum auri atque argenti accipere narrat, quām falso , Angli atque nostrates possunt testari.

## C A P . XVIII.

Hernandi de Alarcon *navigatio in Fretum Californianum.*

**A**ntonius de Mendoza Novæ Hispaniæ Prorex , simulac *Franciscum Vasquium de Cornado* terrestri itinere dimiserat ad *Cibola* provincias lustrandas, etiam Hernandum de Alarcon cum duabus navibus ablegavit, ut oram maritimam Freti Californiani inviseret: Hic quum ad vadortum brevia pervenisset, à quibus 20 *Franciscus de Ulloa* vela retro vorterat, non sine summo periculo ad intimum sinus illius gremium penetravit: ubi flumen offendit ita rapide decurrens, ut naves plenis velis subeuntes remoraretur: itaque majores naves in anchoris hic constituens, cum duabus cymbis quibus viginti milites nautæque vehebantur, flumen ascendere aggreditur; primo die, qui erat sextus & vigesimus Augusti, ægre sex leucas proiectus, postero die aliquot tuguria barbarorum conspexit, qui postquam res suas in vicinos montes abdidissent, ad ripam reversi, Hispanos minitabundi terra prohibere satagabant; verum *Alarconius* promissis atque munusculis barbaros ita delinivit ut mox 30 ultro in terram exscendere juberent, & commeatum liberaliter conferrent. Hi populi nudi agebant, & cutem variis coloribus picti; capita galeis quibusdam muniebant, quas è cervino corio consutas elegantissimis plumis ornant: arma ipsis sunt arcus, sagittæque & lignei gladii; corpora vasta & validi lacerti: perforant nares, & brachia notulis quibusdam persignant: capillitum supra frontem rasum, ab occipitio ad lumbos usque promissum: fœminæ pudenda ante & retro plumis tegunt, cætera nudæ & eodem quo mares modo capillatae. Ingens autem hominum multitudo quotidie accurrebat, quos Hispanus, dum se à sole, quem hi barbari unice venerantur, missum jaëtat, ita delinivit, & munusculis exigui pretii, puta ligneis & papyraceis crucibus (quas res cœlestes esse prædicabat) in tantum sibi conciliavit, ut funibus arreptis, magna contentione cymbas illius adverso flumine subducere aggredierentur. Invenerunt & aliquem qui ipsorum interpretem nonnihil videbatur intelligere: 40 Hunc multa variaque quærentem, quum vicissim de *Cibola* & *Tonteac* provinciarum situ & statu interrogassent, ille nihil sibi de ipsis constare respondit. Venit deinde ad eos *Naguachatus* barbarorum horum regulus, qui & præfectum humaniter salutavit & placentis aliquot è Mayzio coctis atque cucurbitulis donavit; itaque hæc crux ab Hispanis erecta & barbari à monachis edocti quomodo illam venerarentur. Adversam autem fluminis ripam non minor hominum multitudo obtinebat, qui simili munificentia annonam offerebant, quare & ibi crux fixa. Regulum deinceps serio interrogantes cognoscunt supra viginti tres populos ripas hujus fluminis accolere, omnes idiomate inter se diversos, nec tamen defuturos aliquos, qui interpretes Hispanorum aliquo modo sint intellecturi. Supra hosce autem nationem quandam degere quæ ædes lapideas inhabitet, ferarumque exuvias induatur, & annonæ comparandæ gratia quotannis ad ipsos descendat.

Hinc ergo proiectus in aliam gentem incidit, quæ obscuram quandam *Cibola* notitiam habebat, eamque mensis itinere abesse testabatur: & mox in aliud populum cuius Regulus testabatur, *Cibola* dominum Nigritam quendam superioribus annis obtruncasse, eique virides patinas & canem Hispanensem eripuisse. Huic proximi agebant barbari, qui magnam quidem gossypii copiam possidebant, sed

usum illius penitus ignorabant, gliscente jam magis atque magis *Cibolæ* fama, hinc namque decem dierum itinere per solitudinem absoluto, haud longè absfuturam profitebantur: repertus denique unus qui *Cibolæ* se fuisse, & Christianos, eorumque ingentes bellugas ibidem vidisse diceret. Præfectus quum *Franciscum Vasquium de Cornado*, illiusque equos designari satis intelligeret, nuncios ad illum mittere summopere desiderabat, sed nemini persuadere poterat, ut iter illud susciperet. Biduo deinde descendit ad naves suas, quum vix quindecim diebus ascendisset: Quumque ibidem salva omnia reperisset, flumini quidem *Rio de bona guia* nomen imposuit, provinciæ autem *Campanna de bona Guia*; & postquam suis imperasset capellam hic ædificare *Nuestra Sennoræ de bona Guia*, denuo cum pluribus cymbis flumen ascendere agreditur: & paucorum dierum itinere pervenit ad provinciam *Coano* sive *Cumanam*<sup>10</sup> vel etiam *Quuamam* (nam tria hæc nomina apud scriptores invenio, sive una eademque sit provincia, sive plures & diversæ) ubi humaniter ab incolis fuit exceptus; quumque circiter leucas octuaginta flumen ascendisset, nec quod quærebat invenisset, voti irritus ad naves suas remeavit. Sublatis deinde anchoris, postquam oras freti Californiani obiter lustrasset, naves ad Novam Hispaniam incolumes reduxit.

## C A P. XIX.

*Expeditione navalis Joannis Roderici Cabrilli secus littus australis Californiae in mari Pacifico.*

1542. **P**RÆFEX *Mendoza* inceptis gnaviter insistendum ratus, binas iterum naves instruxit, iisque præposuit *Ioannem Roderici Cabrillum Lusitanum*: qui è portu *Nativitatis* solvens vigesimo & septimo Junii anni *1542*, postero die Promontorium *de Corrientes* prætervehitur, & trigesimo ejusdem mensis postquam littora legisset, descendit ad altitudinem viginti duorum graduum & viginti scrupulorum. Secundo autem Julii portum *Marchionis Vallensis*, ad *Californiae* continentem situm (quem vocant *de la Cruz*) prætervectus, octavo ejusdem superavit Promontorium *Trinitatis* ad altitudinem quinque & viginti graduum: & decimo nono ejusdem subiit portum *de la Madalena* ad altitudinem septem & viginti graduum situm & adversus incerta ventorum egregie munitum; ubi aquavit. Hinc proiectus, vigesimo Augusti, Promontorium *del Enganno* adiit ad altitudinem unius & triginta graduum: & deum xiv Septembbris, anchoris jactis substituit, tribus & triginta gradibus ab æquatore versus Arctum, sub prærupto Promontorio, quod *de la Cruz* appellavit: Velisque rursus explicatis, x Octobris quendam barbarorum pagum adiit, ad altitudinem quinq; & xxx graduum atq; xx scrupulorum, quem à lemborum multitudine *Pueblo de las Canoas* appellavit. Aliquot diebus ob malaciam hinc detentus, xviii ejusdem mensis die pervenit ad altitudinem vi & xxx grad. & xxx scrupul. Continens hinc angusto collo in altum exiens Promontorium facit, quod à figura *Cabo de la Galera* dixerunt.

Deinceps Cori frigus vitare satagens, relieto littore altum petiit, & decem leucarum intervallo à dicto promontorio, duas invenit Insulas, quarum una octo leucas inter ortum & occasum, altera quatuor patebat, *S. Lucae* nomine hodie signatae; apud harum alteram, modicum quidem, sed satis tutum portum ingressus est, quem *de la Possession* nominavit. Habitatur utraque insula à barbaris, qui (quemadmodum & illi qui in Continenti degunt) nudi agunt, genas quadratis quibusdam notis signati: & piscatu vitam tolerantes. Ex hoc portu vigesimo quinto ejusdem mensis, Africo leniter afflante profectus, postero die haud leve discriminè adiit ab austri violentia in oram importuosam, vorticis amque pene impulsus; & quadriduum crebra ventorum mutatione, nimbis & nebuloso cœlo exercitus, primoque Novembbris ab impetuoso Coro, adversaque tempestate ad Promontorium *de la Galera* rejectus, pone illud naves subduxit. Postero die portum *de Sardinias* adiit. Hinc Continens habitatoribus frequens videtur, quorum multi è vicinia ad Hispanos venerunt, & ad tympani murum saltarunt & in navibus pernoctaverunt: dum Hispani quietè aquam & ligna in naves subvehunt. Habitabant hi barbari in spatiois domiciliis ad ripam fluminis; & nudi fere, glandibus, nucibus & piscibus visitabant; sepulcra eorum asseribus undique erant septa. Hanc provinciam Hispani *Seyo* appellantur.

Undecimo Novembbris, aura ipsis secunda ab Euro afflante, hinc absolverunt, cursum

cursum secundum orarum ductum instituentes: & quum flumen de Nostra Sennora, ut vocant, aliquandiu frustra investigassent; occurserunt illis ad altitudinem septem supra triginta graduum & triginta scrupulorum, continua altissimorum montium juga, quæ hodie *S. Martini* audiunt: Ea autem ad altitudinem octo & triginta graduum vastum promontorium in altum exporrigunt, ejusdem nominis. Hic nocte intempesta, vehemens ab Africo procella cum nimbo & nebula ipsis incubuit, ita ut cursum tenere non possent, & ob fluctuum impetum dividerentur, superioraque armamenta in mare projicerent: itaque decimo tertio ejusdem mensis terram versus vela vortunt, ut sociam navim quærerent.

10 Porro quadraginta gradibus & aliquot scrupulis ab Æquatore versus Arctum, <sup>C. de Pi-</sup>  
promontorium eminet, proceris pinis obsitum, à quibus & nomen accepit; à quo ora <sup>nos.</sup>  
Continentis versus corum ad aliquot leucas procedit, altissimis & præruptis ripis.

Decimo quinto quum corus valide perflaret, & secus littus navigantes frigoris acrimoniam vix ferrent, juga montium niubus cendentia conspexerunt, & sociâ navi inventâ quæ ob fluctuum, quos hauserat, copiam periclitabatur, decimo sexto Si-  
num de Pinos intrarunt. Decimo octavo hinc solventes ut commodiorem portum quærerent, juga montium ad eundem modum nivibus tecta offenderunt, quibus Promontorium in altum descendit, vulgo *Cabode Nieves*, octo & triginta gradibus & quadraginta scrupulis ab Æquatore versus Arctum. Continens omnis hic pene ejusdem est temperaturæ, nam Coro flante cœlum hic sudum, nullisque nubilis tectum.  
20 Ora autem à gradu trigesimo septimo ad quadragesimum, extenditur inter Corum atque Eurum.

Quum nullum portum in hoc tractu reperissent, ad portum *Possessionis* sub insulis *S. Lucae* redire statuunt; hic Africo pertinaciter flante, cum summo frigore, ni-  
vibus & impetuosis etiam intra portum fluctibus, miserè colluctati usque ad exitum Decembris, Oceano denuo se committunt, & decimo nono demum Januarii anni cl<sup>o</sup> Io xl<sup>iiii</sup> cum summo discrimine secundo portum *de Sardinias* ingrediuntur. Atque iterum decimo quarto Februarii hinc egressi, vigesimo sexto ejusdem, Promon-  
torium *Fortuna* conspicunt ad altitudinem unius & quadraginta graduum: atque <sup>C. de For-</sup>  
30 ita porro ad calendas Martias cum validis tempestatibus & obscurissimis nebulis, <sup>tunas.</sup>  
atque intolerabili frigore conflictati usque ad quartum & quadragesimum gradum latitudinis septentrionalis pervenerunt. Veruntamen frigoris vehementiæ haud longius pares, primo ad Promontorium *de Pinos*, & mox, jam tertio, ad portum Pos-  
sessionis remearunt; quem quum ob fluctuum vehementiam ingredi nequirent, mi-  
nor navis sub insulam *S. sebastiani* tandem se recepit, quinque diebus pene ducentas leucas, ut ferunt, emensa. Summa jam annonæ penuria laborare cœperant, itaque ad Novam Hispaniam reverti consultius judicarunt; & socia navi vigesimo sexto ejusdem mensis sub insula *de Cedros* inventa, decimo quarto Aprilis ad portum *Nau-  
tivitatis* redierunt, *Ioanne Roderici Cabrillo* paulo ante in itinere defuncto.

40

## N O V A A L B I O N .

## C A P . XX.

Nova Albion ex commentariis Francisci Draci descripta, &  
Californie reliqua.

50 **A**NTEQUAM ab hisce regionibus maritimis ad interiores Continentis Ameri-  
cæ Septentrionalis provincias revertamur, non abs re fuerit ejus provinciæ  
meminisse, quam fortissimus Eques *Franciscus Dracu*s in memorabili illa expe-  
ditione, qua universum terræ globum circumnavigavit, primus lustravit. Is itaq; *Fretu*  
*Magallanico* enavigato, totaq; Ameriæ meridionalis, & Novæ Hispaniæ ora lustrata,  
per orientalis Indiæ insulas in Angliam remeare desiderans, cursum suum insti-  
tuit versus Corum, & vastum illum Oceanum Australem ad quadragesimum  
usque gradum septentrionalis latitudinis emensus, quinto Junii, quum socii illius  
frigus haud amplius ferrent, deflexit ad Continentem Ameriæ septentrionalis, & ad  
trigesi-

trigesimum octavum ejusdem latitudinis gradum reversus, patentem & peropportu-  
num sinum intravit, & xvii ejusdem ibidem anchoras fixit. Barbari qui oram ma-  
ris accolebant, magno numero statim accurrerunt & munuscula quædam è plumis  
& reticulato opere confecta Præfecto obtulerunt; à quo & perbenigne excepti & vi-  
cissim Europæis quibusdam mercibus donati, tantopere Anglos eorumque dona ad-  
mirati fuerunt, ut Deos crederent neque aliter sibi paterentur persuaderi. Postero  
die, quum ad jugum montis venissent, sub quo Angli tentoria fixerant, seseque com-  
muniverant, aliquandiu substiterunt, & postquam unus illorum longa oratione se fa-  
tigasset, cæterique arcus & alia arma deposuerint, ad castra cum muneribus descen-  
derunt: Fœminæ interea quæ in summo clivo remanserant, miserè sese affligebant, 10  
genas suas unguibus lacerantes, sacrificio alicui, ut videbatur, intentæ: Viri vero  
postquam Christiana sacra (nam precibus Anglitum commodum vacabant) cum  
summa attentione & stupore spectassent, quæcunq; pridie ab Anglis dono acceperant,  
restituerunt. Gliscente interim fama adventus peregrinorum, Regulus barbarorum  
excitus, binos legatos præmisit, qui quum dimidiā pene horā nequicquam peroraf-  
sent, nutu significarunt se petere, ut munus aliquod Regulo suo destinaretur, quo co-  
gnosceret tutò ipsi ad castra licere descendere; quo impetrato, ad Dominum suum re-  
vertuntur. Ille vero regia pompa processit magno satellitum agmine septus, quorum  
unus sceptrum præferebat, cum duabus coronis, quæ è variis plumis eleganter erant  
contextæ, tribusq; oblongis catenulis quorumdam ossiculorum, ejusdem forte generis 20  
& formæ cum Esurgny quo Canadenses uti supra diximus. Erat autem Regulus præ-  
tero corpore & gestu minime inurbano, cuniculorum & aliarum ferarum pellibus ami-  
ctus: pone ipsum sequebatur promiscua turba cum suis muneribus, prorsus nuda &  
variis coloribus picta. Anglis autem turmatim & militari ordine obviam egressis &  
salutatione eminus peracta, magnum aliquandiu silentium fuit: Deinde qui Regulo  
sceptrum præferebat, alio insurrante longam orationem habuit, cui quum à mul-  
titudine esset acclamatum, Regulus cum viris & fœminis (nam pueros in vertice  
montis subsistere jussérat) cæpit descendere: jamque pene vallo Castrorum suc-  
cesserat, quum sceptigerulus cantilenam canere & ad modulos illius subfilire cæ-  
pit, Regulo & satellitibus illius succinentibus & choreas ducentibus: idem & re-  
liqua turba imitabatur, præter fœminas quæ tacitæ saltabant: Atque ita intra val-  
lum admissi diu multumque canendo & tripudiando se fagitarunt: Denique à Præ-  
fecto Anglorum supplices petiverunt, ut provinciam ipsorum in tutelam suam susci-  
peret, & regni habenas moderaretur; quumque annuisset, coronam capitii illius can-  
tillantes atque subfilientes imposuerunt, & catenulas collo illius circumdederunt,  
*Hioh* ipsum nominantes.

Provincia hæc universa abundat infinita copia cuniculorum, qui capite quidem  
ab Europæis nihil differunt, pedibus autem talpas magis referunt & cauda gli-  
res; habentque ab utroque latere veluti sacculum, in quem postquam saturati  
fuerint, reliquias suas recondunt: Carnibus illorum indigenæ vescuntur, pelle 40  
autem maximi faciunt, nam & Reguli vestis ex eis consuta erat. Tuguria horum  
barbarorum è cespite congesta, viminibus eleganter in orbem consertis ad fasti-  
gium usque tecta atque ita munita ut frigus facile arceant; in quibus juxta focum  
super juncos humi projecti cubant. Mares nudi, fœminæ autem storeis quibusdam  
(quos è juncis industriè contexunt) pudenda tecta, & ferino tergore hume-  
ris circumjecto palliatæ incedunt: Viris suis supra modum obsequentes. *Dracu*  
jam discessurus *Nove Albionis* nomen indidit, tum propter candicantes clivos  
qui littus occupant, tum ad patriæ suæ memoriam, quæ quondam Albion au-  
diit. Et columnæ erecta Angliæ regni insignia affixit, Reginæque nomen &  
suum inscripsit. Denique discedens ingens sui desiderium barbaris hisce reli-  
quit.

Ne quid autem Geographiæ studiosi hic desiderent, australē *Californiae* atque  
extimum littus obiter lustrabimus: Promontorium illius orientale à nonnullis *S. Clari-*  
*ra* dicitur, è regione Novæ Galæciæ: ab hoc haud longo intervallo distat alterum  
quod Promontorium *S. Lucae* vocant, viginti duobus gradibus ab Äquatore versus Ar-  
ctum, ut *Franciscus Gualleus Hispanus* observavit: ad hoc naves quæ ab Insulis *Philippinis*  
ab Si-

& Sinarum regno ad Novam Hispaniam revertuntur, cursum suum instituunt, inde à Promontorio *Mendocino* ad altitudinem unius & quadraginta graduum sito: inter quæ duo Promontoria quingentarum leucarum intervallum rei nauticæ periti statuunt. Juxta hoc *S. Luca* Promontorium *Candischius* opulentissimam illam navem anno c<sup>lo</sup> I<sup>c</sup> lxxxvii eripuit Hispanis: Pone autem hoc patentissimus sinus se aperit, quem Hispani ob aquandi opportunitatem *Aguadam Seguram* vocant, in quem fluvius descendit, cuius ripas plures barbari accolunt. Quæ ad Continentem porto sequuntur Promontoria, sinus, portus, flumina, eorum aliquot jam ante commemoravi; cæterum tam crebro pro navigantium arbitrio nomina mutarunt, & Tabula Hydrographicæ tantum inter se discrepant, ut si singula recenserem, lectoris tedium demereret velle meritò viderer. Denique inter utrumque Promontorium *S. Luca* & *Mendocinum* plures insulæ in mari Australi sparsæ continent objacent, quarum duæ peculiariter à navigantibus observantur, *S. Augustini* una, ad altitudinem triginta graduum & quadraginta scrupulorum, altera de *Cedros* ad altitudinem octo & viginti graduum & quindecim scrupulorum, ut ab eodem *Gualleo* observatum.

C. Men-  
docino

## N O V A M E X I C A N A .

## C A P . XXI.

20

*Provinciarum quas hodie Novo Mexico vocant prima inventio.*

**A**NTEQUAM ab hisce Provinciis discedamus, non abs re fuerit hic attexere quo pacto provinciæ amplissimæ, quæ jam *Nova Mexicana* nomine designantur ab Hispanis primum fuerint inventæ, prout à fratre *Ioanne Gonzalez de Mendoça* narratur in Relatione de Sinarum Regno anno c<sup>lo</sup> I<sup>c</sup> lxxxix Madridi impressa.

*Augustinus Ruiz* (inquit) religiosus ordinis *Sant Francisci*, vallis *S. Bartholomæi* incola, quum anno c<sup>lo</sup> I<sup>c</sup> lxxx è barbaris qui *Conchi* vocantur & cum vicinis Pasifragatibus commercia exercent, cognovisset, versus Arctum quamplures provincias atque oppida habitari à diversis nationibus, ad quas Hispani haec tenus non penetrasserent, pio zelo animas illorum populorum Christo lucrandi motus, à Comite Corunnae qui tum *Nova Hispania* pro Rege præterat & à Provinciali ordinis sui licentiam petuit, gentes illas adeundi, earumque idioma addiscendi ut facilius Christianam religionem ipsis persuaderet: qua haud difficulter impetrata, cum duobus sui ordinis monachis, & octo militibus qui ultiro ipsum comitabantur, itineri se accinxit: & post aliquot dierum peregrinationem intravit provinciam *Tiguarum*, quæ ducentas & *Tiguæ* quinquaginta leucas ab argentifodinis *S. Barbara* versus septentriones abesse credebat. Atque hic, ob causas quæ non produntur, unus monachorum ab indigenis fuit occisus; milites qui ab hisce initii graviora merito metuerent, & tam exiguo numero tantam barbarorum multitudinem nequaquam coerceri posse perpendarent, frustraque tam longe à provinciis Hispanorum auxilium ullum expectari, tutius judicarunt quantocius ad argentifodinas *S. Barbara* pedem referre. Monachi vero qui supererant militum consilio reprobato, cum tribus adolescentibus Americanis & uno Mestizo hic substiterunt, humanitati barbarorum, uti videtur, nimium confisi.

Milites ad suos reversi, rem omnem prout gesta erat, ad Proregem perscribunt; Franciscani autem de suorum salute anxii & deteriora metuentes, quorundam militum animos sollicitare cœperunt, ut cum *Bernardino Beltramo* sui ordinis monacho ad *Tiguarum* provinciam properarent, & fratres suos præsenti discrimini eriperent. Commodum acciderat ut eo tempore *Antonius de Espero* Cordubæ in Hispania natus, civis autem Mexicanus, negotiandi causa huc adveniret; Vir opulentus, magni animi atque industriæ, & imprimis ad obsequium Regis sui promptus; qui quum Monachi propositum & rei dignitatem serio perpendisset, res suas vitamque una perclitari in animum induxit, modo licentia ipsi ab aliquo regio ministro concederetur;

quæ monachorum intercessione & precibus, ipsi & omnibus qui ipsum comitari vellent haud gravate fuit indulta à *Ioanne de Ontiveros*, oppidi quod quatuor *Cienagas* vocant in provincia *Nova Biscayæ*, septuaginta leucis ab Argentifodinis *S. Barbara*, prætore *Urbano*.

*Conchi.* *Antonius* itaque de *Espeio*, omnibus ad hanc expeditionem necessariis mature comparatis, decimo Novembris anni c<sup>15</sup> I<sup>o</sup> LXXXII è valle *S. Bartolomei* movit cum centum quinquaginta, qua equis qua mulis, magno armorum numero, atq; apparatu bellico, largo commeatu, multisque servitiis; & recta versus Arctum biduo progressus, incidit in multos barbaros *Conchos* qui humiles casas vicatim habitabant & itineris illius gnari obviam processerant ut adventum gratularentur. *Conchi* autem hi, reliquique barbari qui vastas hasce regiones incolunt, ferina ut plurimum vitant, (nam ingens hic cuniculorum, leporum atque cervorum est copia) item Mayzio, curbitulis atque melonibus, quibus abundant: amnes omnes multimodo piscium genere sunt fœcundi. Indigenæ fere nudi incedunt; arma ipsis sunt arcus atque sagittæ; parent variis regulis, quos & *Casiques* vocant uti Mexicanæ: nulla ipsis idola, aut quicquam præcipua veneratione, quare facilius cruces figi à Christianis patiebantur, postquam ab interpretibus quid sibi vellent, leviter didicissent. Hinc *Conchis* ducentibus viginti quatuor leucarum iter factum per eorumdem provinciam sine discrimine aut maleficio, Regulis passim officii gratia occurrentibus; ventumque ad *Passaguates*, qui eisdem moribus vivunt, & Hispanos benignè acceptos per provinciam suam deduxerunt; multæ hic argenti venæ, indicio peritorum, juxta viam inventæ. *Passaguates* excipiunt *Tobosi*, diversa gens, qui Hispanorum adventum nequaquam sibi operiendum rati, se suaque omnia in vicinos montes subduxerant, quia milites quidam Hispani (uti postea patuit) superioribus annis hanc provinciam metallorum indagandorum gratia ingressi multos incolarum invitatos in servitutem abripuerant. Præfectus ergo aliquot suorum ad ipsis misit, blandis verbis & ingentibus promissis rogatum ut redirent ad penates, tuta enim fore omnia neque se maleficii causa advenisse; his persuasi quamplurimi sunt reversi, & cruces erigi passi, usumque illarum edocti, Hispanos ad eundem modum duodecim leucatum itinere per fines suos deduxerunt: barbari hi fere nudi agunt, & arcubus atque sagittis armantur.

*Passaguates.*  
*Tobosi.*

## C A P. XXII.

### *Expeditionis Antonii de Espeio in Novam Mexicanam progressus.*

*Patarabuyes.*

**A** *Tobosi* deducti sunt Hispani ad *Iumanos* sive *Patarabuyes*, qui frequentissimam provinciam vicatim incolunt, domus possident lapideas cum suis rectis eleganter constructas: mares juxta atque fœminæ facies atque artus lineis quibusdam persignant; robusto corpore & moribus longe urbanioribus quam præcedentes. annona his copiosa, ob opportunitatem venationis & aucupii; Crebri & piscoi amnes, qui ab Arcto descendunt, atque illorum unus vasto alveo, in Oceum Septentrionalem exire creditus: multi quoque hic lacus falsi, quorum aquæ æstate in optimum salem coagulantur: barbari denique hi valde bellicosi sunt, nam prima nocte, qua Hispani castra sua communiverant, tantum sagittarum nimbum in illos effuderunt, ut quinque equos examinarent, totidemque gravissime sauciarunt nec ullum intactum reliquisserent, nisi ab excubitoribus fuissent prohibiti. Hisce in hunc modum perpetratis, pago suo deserto, in montana se proripuerunt; verum Præfectus cum quinque militibus & interprete suo, atque aliquot provincialibus illos assequutus, blando alloquo ita permovit ut ad lares suos redirent & vicinis suis per nuncios significantem; Hispanos innoxium iter per provincias agere & ab indigenarum corporibus vim & bonis illorum rapaces manus continere: Itaque Regulo prius munusculis quibusdam delinito, cæteris haud difficulter persuasum fuit, ut magno numero Hispanos aliquot dierum itinere comitarentur. Secundum ripam magni illius fluminis incessum, per varios pagos eorumdem populorum, duodecim diebus: barbari autem à vicinis admoniti, inermes in via occurrebant, & annonam aliaque necessaria gratis subministrabant; inter quæ rupicaprarum tergora eminebant tam industrie præparata ut cum Belgicis certarent. Vestibus hæc natio utebatur, & le-

vem

vem religionis cognitionem videbatur habere, nam cœlum intuentes, quod sua lingua *Apalito* dicebant, numen designabant & dominum universi, vitæque & omnium bonorum munificum largitorem profitebantur: Fœminæ ipsorum atque libeti, Religiosum qui in exercitu erat, accedebant ut ab illo benedictionem impetrarent; quumque interrogarentur à quibus hanc Dei cognitionem accepissent, responderunt à tribus Christianis & uno Nigrita, qui hac iter habuerant, & aliquo tempore lib. 3, c. 4. hic fuerant commorati: *Cabecam de Vacca*, *Dorantium*, *Castillum* & *Nigritam* illorum designari ex plerisque indicis constitit, de quibus supra egimus. Hispanos hinc dígredientes, plurimi indigenarum multos dies officiose sunt comitati, dum fluminis ripas prosequuntur. Paucorum dein dierum itinere ad alium Indorum pagum ventum; qui vicinorum fama exciti Hispanis ultro obviam venerunt, cum multis plumariis ornamentis, quæ mira colorum varietate contexta erant, & tunicis gossypinis, quæ cæruleo atque albo colore distinctæ erant Sinensium in modum.

Tam viri autem quam fœminæ, tergoribus ferarum optimè præparatis induiti erant: Nomen horum barbarorum ob defectum interpretis cognosci non potuit, lapides deinde aliquot ipsis exhibiti quibus dites metallorum venæ permixtæ erant, quæ situmque an solum ipsorum ejuscmodi alicubi absconderet: responsumque ab ipsis per signa, tales lapides maxima copia reperiri in Provincia quæ quinque dierum itinere abesset versus occasum. Comitati porro Hispanos viginti & duas leucas per suam provinciam, ad proximam conduxerunt, incolis multo adhuc frequentiorem, & ad ejusdem fluminis ripas sitam. Hic Hispani ab Indigenis perhumaniter accepti & munusculis quibusdam donati, annona quoque, & optimis imprimis piscibus quos vicinus lacus nutrit, triduum substiterunt; barbaris interim suo more choteas ducentibus; provinciæ nomen intelligere haud potuerunt, cæterum amplissima visa & soli ubertate, coeli bonitate, atque adeo metallorum copia nulli secunda. Inventus hic unus è *Conchorum* gente, qui signis quibusdam indicabat, quindecim dierum itinere versus Occidentem ingentem Lacum abesse, multis barbarorum oppidulis in ambitu cinctum, qui & vestibus uterentur & annona abundantare & amplissimas ædes incolerent; seque ducem offerebat; verum quum iter monachorum liberandum causa suscepimus ad Arctum pertineret, ad occasum in præsens omittere vi- sum. Quindecim inde diebus per inculta loca & vastas sylvas, quæ pinis abundabant, ab Europæis nihil diversis, iter actum, & octuaginta circiter leucas, uti putabant, progressi, ad exiguum & infrequentem pagum pervenerunt, in quorum mapalibus, quæ è stramentis leviter contexta erant, multa cervorum tergora repererunt & salis candidi & optimi copiam. Hi barbari Hispanos non modo humaniter exceperunt, sed & duodecim diebus secus ripas fluminis *del Norte* conduxerunt ad provinciam quæ hodie *Nova Mexicana* appellatur. Utramque fluminis ripam populea sylva tegebat, nonnusquam quatuor leucas lata, plurimæ quoque nuces & vites hic visæ, biduum per hasce sylvas profecti, in decem pagos inciderunt utrique ripæ ap- positos, in quibus supra decem millia hominum agere visa. Perhumaniter hic accepti & in pagos deducti, ædes ipsorum vastas & quatuor contignationibus in altum substractas repererunt, cum multis atriis, conclavibus & tepidariis adversus frigus: tam mares quam fœminæ gossypinis tunicis & ferarum exuvii vestiebantur ad Mexicanorum normam, & quod insolens barbaris, ideoque Hispanis novum visum, utebantur calceis atque ocreis quæ è ferarum tergoribus & taurino corio consuta erant. Fœminis capillus bene pexus & eleganter erat dispositus, nec ullo præterea velamine caput tegebatur. Singulis pagis sui Reguli erant, qui per præcones suos edicta populo denuntiabant. Quamplurima passim idola visa quæ venerabantur, & in singulis pene ædi- bus Sacraria Dæmonis cultui dicata, & quemadmodū Christiani secus vias cruces fi- xas habent, ita hi capellulas quasdam pictas atq; ornatas, in quibus Dæmonem perno- ctare & genio indulgere credunt, quum ab uno pago ad alterum movet. Studiose colunt agros & in singulis arvis quatuor palos figunt, eisque tectum desuper imponunt, ut agricultæ sub ipsis cibum capiant & meridie conquiescant: Solum fere montosum & pinorum lucis obsitum. Arma sunt validi arcus & sagittæ acutis silicibus asperatae, ob- longi lignei gladii & multis acutis silicibus utrimque muniti, ita ut hominum corpora valido iectu dividere apti sint, parvæ denique crudis taurorum tergoribus obductæ.

*Provinciae de los Tiguas, de los Quires, Cumanes, Ameyes, Acoma, Zuny,  
quorum provincia ab Hispanis Cibola dicitur, lustrata.*

Tigues.  
Poala.

**P**os t quatriui in superiori provincia moram, ad proximam *Tiguarum* transierunt, quæ sedecim pagis incolitur; in quorum uno *Poala* Franciscum Lopezium & Augustinum Ruizum cum suis trucidatos cognoverunt. Indigenæ autem vicinique hujus facinoris sibi consciæ & Hispanos vindices metuentes, laribus desertis propera fuga in montana se receperunt, neque ullis blandiciis potuerunt reduci. In <sup>10</sup> tuguriis illorum magna annonæ copia reperta, multæ gallinæ, aliaque, numerus incolarum certo cognosci haud potuit. Quum itaque monachos trucidatos compreserent, deliberatum inter illos, in novam Vizcayam ne redire an ulterius progrederi consultius foret, hæsitatumque aliquandiu, donec grandium & opulentarum provinciarum versus ortum fama gliscente, *Bernardino Beltramo* haud abnuente, porro lustrare visum, ut certiora ad Regem referrent, nec tamen exercitum totū periclitari; sed præfectum tantū cum binis militibus hoc iter suscipere. Is biduo à castris progressus aliam provinciam intrat, undecim pagis cultam, & ita frequenter ut quadraginta millia animarum hic reperiendi judicarent; Ager fœcundus erat & bene cultus, *Cibola* fines quam proximè contingens; tauris vaccisque ita abundans, ut tergoribus indigenæ se <sup>20</sup> vestiant; qui moribus & institutis à vicinis nihil discrepant; hic multa metalla esse verisimile est & non pauca in tuguriis visa: Indigenæ varia colunt idola; cæterum amicè susceperunt Hispanos. Hisce observatis ad castra redditum, ad quæ interea alterius provinciæ fama pervenerat, quam vocant *de los Quires*, quæ secundum ripas fluminis *del Norte* sex leucas aberat; ad quam contendentes, quum jam unius tantum leucæ intervallo abessent, ab indigenis qui magno numero obviam venerant, amicè sunt invitati: quinque tantum pagi hic visi, qui à quindecim millibus tenebantur, idololatriæ quemadmodum præcedentes. Hic picam cavea conclusam videbunt ut solent in Hispania; itemque umbracula (*vulgo Tirazoles*) quibus Sinenses utuntur Solis, Lunæ, & Stellarum imaginibus eleganter picta. Hic poli altitudinem <sup>30</sup> dimensi, ad septimum & trigesimum gradum cum semisse se pervenisse observarunt.

Quires.

Cuna-  
mes.

Ameyes.

Acoma.

Quatuordecim leucas versus eandem plagam progressi, aliam provinciam ingrediuntur, *de los Cunames*, in qua quinque municipia offenderunt, quorum maximum dicebatur *Cia*, adeo vastum ut octo fora rerum venalium complectetur; domus calce illitæ erant, variisque coloribus pictæ; incolæ quantum æstimare licebat, supra viginti mille: elegantissima hic pallia dono accepta, cibique & mundè parati & bene cocti propositi; ut liquido appareret barbaros hosce urbanitate & cultis moribus reliquos longe anteire: nec ditiorum metallorum indigi erant, montesque quibus illa tegebantur ultro ostentabant.

Huic provinciæ versus Corum proxima erat circiter sex leucarum intervallo, provincia *de los Ameyes*, in qua septem municipia numerantur & circiter triginta millia incolarum, qui à vicinorum moribus nihil differunt.

Quindecim hinc leucis versus occasum occurrit *Acoma* vastum municipium, excellæ & præruptæ petræ impositum, quod nonnisi gradibus è faxo excisis, uno atq; angusto ascensu aditur: Proceres ultro ad Hispanos descenderunt, annonaque & multis muneribus donarunt: Sata illorum duarum leucarum intervallo aberant, quæ fossis è vicino flumine deductis rigabant, ad cuius ripas roseta visa Europæ similia: Metallis abundare videtur provincia, sed ob multitudinem & ferociam barbarorum non ausi fuerunt Hispani penitus illa scrutari.

Viginti quatuor deinde leucas ad occidentem profecti provinciam attigerunt, in <sup>50</sup> indigenis quidem *Zuny*, Hispanis vero *Cibolam* dictam; hanc *Franciscus Vasquius* olim fueratingressus, pluresque cruces hic fixerat; quarum nonnullæ etiamnum hic videbantur, repertique tres Christiani qui ab illo tempore ibidem morati, patrii idiomatis pene erant obliti, è quibus tamen cognitum; sexaginta dierum itinere ingenitum lacum aut forte mare abesse, cuius ripæ plura & grandiora municipia assiderent; incolæque multo auro abundant, *Franciscum Vasquium* hujus gnarum eo iter suscepisse,

pisse, sed duodecim dierum iter progressum aquarum inopia redire coactum, nec postea repetisse uti constituerat morte præventum.

## C A P . XXIV .

Antonii de Espeio *itineris reliqua*, Zaguato *municipium*, Hu-  
batum *provincia*, atque Tamorum.

**A**ntonius de Espeio superiori relatione in novam spem erectus, ad opuleri-  
tam illam provinciam cum exercitu proficisci unice desiderabat, verum  
frater *Bernardinus* & longe major militum pars reluctabatur; tempus jam esse  
didentes ut domum redirent & singula prout gesta erant, Proregi exponerent: ita-  
que Duce suo cum novem aliis destituto, rectâ iter in provinciam unde egressi  
fuerant indicunt. Dux vero nihil cunctatus cum paucis ad occidentem con-  
tendit, & post viginti octo leucarum iter attigit provinciam, quam quinquaginta  
millia barbarorum incolere videbantur, qui adventus Hispanorum gnari, ob-  
viam suos miserunt, ut finibus suis illos prohiberent, excidium si contra niterentur  
comminati: Verum Espeius qua blanditiis, qua muneribus, primò nuntios, dein &  
reliquam turbam ita placavit ut ipsum cum centum quinquaginta Cibolensisbus  
20 haud inviti admitterent. Quumque primario municipio *Zaguato* jam appropinqua-  
sent, circiter duo millia barbarorum cum plurima annona obviam venerunt, qui  
munuscula Hispanorum licet vilia maximi faciebant; quos Reguli subsequuti, tan-  
to cum gaudio Hispanos exceperunt, ut farinam equorum pedibus objicerent, &  
hospitio intra municipium exceptos satis laute pro barbarorum consuetudine  
alerent.

Multi quoque mortales è vicinia accurrerunt, Regulis Hispanorum innocen-  
tiā atque humanitatem passim promulgantibus. Simplicitati deinde barbarorum  
præfētus illudens, monuit equos suos priori nuncio offensos, quo Hispanos finibus  
suis abstinere jussarent, grave ipsis damnum minari, cui ut prævortatur, domum  
30 lapideam ipsis construendam, qua equi coērceantur; quibus illi credentes statim  
eiusmodi domum ædificarunt: discessuro autem quadraginta millia palliorum go-  
ssypinorum aliaque plura à barbaris donata; inter quæ & metalla erant, & dites  
argenti, uti videbatur, venæ. Barbari hi consentientia præcedentibus de ingenti  
illo Lacu loquebantur. Dux autem humanitati atque liberalitati hujus gentis  
confidens, quinque milites & Cibolenses omnes cum impēdimentis *Cibolam* remi-  
sit: ipse cum quatuor tantum militibus & aliquot itineris ducibus, ad argenti me-  
talla, quorum fama ad ipsum pervenerat, deflexit, eaque post quadraginta &  
quique leucarum iter, invenit. Erat autem opulentissima & latissima argenti ve-  
na in vertice montis sita, qui nullo negotio ascendebat: in ambitu plurimi barbari  
40 vicatim agebant, qui Hispanos humaniter exceperunt & cum crucibus in amicitiæ  
significationem occurserunt. Duo modici amnes hic visi, quorum tipas multæ vites  
tegebant, optimas uvas ferentes; & nucum nemora: linique Europæ non absimi-  
lis magna copia. Barbari autem signis quibusdam innuebant, haud longe abesse va-  
stum flumen, & circiter octo leucas latum quod in Oceanum Septentrionalem exi-  
ret: Veruntamen Hispani longius abesse rati, illud adire neglexerunt; & compen-  
diosiori itinere in *Zuny* provinciam regressi, monachum cum reliquo exercitu, &  
quos præmiserant, ibidem repererunt.

*Bernardinus* paulo post cum exercitu discessit versus Novam Vizcayam: *Anto-*  
*nius* autem cum octo militibus ascendit secundum ripas fluminis *del Norte*; & post-  
50 quam sexaginta leucarum itinere ad *Quirium* provinciam pervenisset; duodecim *Quires*.  
post illa leucarum itinere ad *Ortum* factō transiit in fines *Hubatum* ubi benignissi-  
me suscepimus & annona adjutus, ditissima invenit metalla. Viginti quinque millia *Huba-*  
*tes.* barbarorum hic incolere visa, qui gossypinis palliis, eleganter pictis amiciebantur,  
uti & rupicaprarum pellibus bene præparatis. Cæterum montosa est regio, cre-  
bris pinis cedrisque obsita; Domus Indigenarum vastæ & quatuor contignationibus  
in altum substructæ.

*Tamorum*

*Tumorum* provincia unius tantum diei itinere aberat, qui quum Hispanos ultro admittere recusarent, recipere se & domum reverti satius visum. Calendis itaque Juliis anni c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> lxxxiii barbaro quodam ducente, alia via quam venerant secundum ripam fluminis descenderunt, quod ab armentorum copia, *Rio de las Vacas* dixerunt, & centum viginti leucas progressi ad Conchorum flumen repedarunt & mox ad vallem *S. Bartholomei* unde primum digressi fuerant. Unde Dux omnem rerum gestarum seriem ad Proregem atque Hispaniarum Regem perscripsit. Hactenus è *Ioanne Gonsalio*.

## C A P. XXV.

10

*Expedition D. Joannis de Onnate, Acoma capta & diruta, oppidum S. Ioannis conditum, Lacus Conibas obiter lustratus.*

**A**NTEQUA ab hisce mediterraneis & parum cognitis regionibus ad notiores revertar, unam adhuc Hispanorum expeditionem compendio hic subjiciam, cuius descriptionem *Ludovicus Tribaldus* Toletus ad *Richardum Hackluytum* anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> c<sup>v</sup> misit. *D. Joannes de Onnate* anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> xix ex urbe Mexicana movens cum exercitu quinque millium, omnis sexus atque ætatis, largo commeatu, multo pecore, capris, armentis, jumentisque & cæteris ad talem expeditionem necessariis; perque varias provincias quingentarum pene leucarum iter agens, plures 20 gentes adiit, quæ oppida bene munita, eleganterque constructa incolebant, cum quibus fœdus atque amicitiam confirmavit, easque Regi Hispaniarum obnoxias fecit. Donec ad oppidum ventum à natura atque opere egregie munitum & editæ rupi impositum, cuius incolæ perbenigne quidem illum exceperunt & annonā in præsens juverunt, copiosorem in futurum pollicentes; verum quum cognatum suum cum paucis militibus in urbem misisset ad promissa repetenda, multitudinem pene omnem in foro rerum venalium coactam offendiderunt, quæ ex improviso in ipsos jam rebus necessariis comparandis intentos coorta, cognatum ducis cum senis militibus trucidavit, reliqui saucii vix ægre evaserunt. Quæ ubi Dux accepit, fortissimum quemque militum ad oppidum admovet & post aliquot dierum obsidionem crebrosque impetus, tandem irrumpt & multos mortales trucidat, paucos capit, oppidumque à fundamentis diruit. *Acoma* vocabatur hoc oppidum ad altitudinem duorum & triginta graduum & quadraginta scrupulorum.

Hinc rursus sine maleficio per provinciam profectus ad aliud longe maximum oppidum venit, cuius incolas haud invitos (terrebat nimirum Acomensium excidium) in Regis Hispaniarum fidem transire coëgit. Mox & aliud grande oppidum sine certamine in potestatem accepit, & aliquot suorum militum tauros Cibolenses quæsitum dimisit, qui *Francisci Vazquii* expeditione innotuerant: illi autem plurimos quidem viderunt, paucissimos vero, ea est animalis ferocia atque velocitas, potuerunt capere, qui ab exercitu cum summa admiratione spectati.

40

*S. Ioannis oppidi.* Deinde parta sibi tuenda ratus, urbem condidit quam *S. Ioanni* dedicavit, & fœdere cum vicinis confirmato, ditissima argenti metalla aperuit, omnemque operam convertit ad barbaros ad Christianam religionem traducendos.

*Conibas lacus.* Anno deinceps c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> c<sup>ii</sup> aliud iter ad famosum flumen *del Norte* suscepit & ab accolis peramicè est habitus: atque inde ad ingentem illum *Lacum Conibas* transit, cuius ripis ingens oppidum adsidet, septem leucas in longitudinem, duas in latitudinem patere visum, magnificis ædificiis instructum, quæ lucis, hortis & nonnusquam fossis à se invicem distinguuntur: Nulli barbari visi, quare Dux hanc solitudinem suspectam habens, copiasque suas tanto molimini haudquaquam pares sentiens, paucos equites speculatum præmittit; qui oppidum ingressi, per latissimas plateas obequitarunt, nemine obvio, donec ad forum rerum venalium ventum fuit, ubi ingens hominum multitudo se communiverat. Quibus ad Ducem relatis, consultius visum reverti domum, & oppidi hujus expugnationem in aliud tempus differre. Hæc Tribaldus.

Post illa plures expeditiones in Novam Mexicanam, uti videtur, susceptæ, quibus factum ut regiones illæ tandem in provinciam redigerentur; uti satis appetet ex iis quæ

quæ à Benavidio narrantur, cuius relationis jam ante mentionem feci; hic autem ut descriptionem hujus partis concludam, subjiciam recentissimam Novæ Mexicanæ descriptionem ab ipso proditam, è qua limites & qualitates illius melius elucēscent, & quæ oppida ab Hispanis ibidem hodie habitentur liquidò patescet.

## C A P . XXVI.

*Recentissima Novæ Mexicanæ descriptio, è commentariis  
Alfonsi de Benavides Franciscani.*

**N**ova Mexicana aut saltem illius metropolis *S. Fidei* sita est ad trigesimum septimum gradum ab Äquatore versus Arctum; ad eam iter est ab argentifodinis *S. Barbaræ*, per Conchorum provinciam, quæ flumine quod hujus gentis nomine signatur, à Nova Hispania dividitur. Inter *Sanctam Barbaram* autem & Flumen de *Norte*, centum leucæ intersunt, quæ magno discrimine transeuntur per *Tobosos*, *Tarrahumares*, *Tepoanes*, *Tomites*, *Sumas*, *Hanos*, aliasque gentes barbaras & præfereces; hi nudi agunt, inter se discordes & mutuis cædibus infesti, arma ipsorum sunt arcus & sagittæ, quibus hactenus ex insidiis præsertim, gravia damna Hispanis intulerunt. A flumine *del Norte* itidem centum leucæ numerantur ad Novam Mexicanam; in quibus primo degunt barbari quos vocant *Mansos* & *Gorretas*; mares penitus 20 nudi agunt, fœminæ ab umbelico cervorum tergoribus pudenda velant; habitant in tuguriis, quæ è ramis arborum componunt, nullam sementem faciunt, sed crudis carnibus vitam tolerant, neque ab immundis animalium visceribus abhorrent; jam autem ad fidem Christianam se componere cœperunt: Deinceps *Apaches* populosissimæ natio, de qua paulo post plura dicam. Ab his secundo venit ad flumen *del Norte*, à quo Nova Mexicana exordium capit, centum leucas in longitudinem patens versus Arctum; A *Sancto Antonio de Senecu* primo *Birorum* pago, ad pagum *S. Hieronymi* in provincia *Taorum*; complectitur autem plures barbarorum gentes quæ hoc ordine jacent. A flumine *del Norte* incipiunt *Piri* qui vestibus amicti & bene culti, *Piri.* domos incolunt è luto & cespitibus aggestas, & Capitaneis suis parent, civiliterque 30 agunt: magna ipsis Mayzii copia & leguminum, etiam goffypii; solum quippe eorum fœcundum, aër salubris & temperatus; amnes piscoli, sylvæ multas fructiferas arbores, nuces, quercus, & præsertim pulcherrimas pinus nutriunt. Principale oppidum, (uti & tota provincia) hodie *Socorro* dicitur ab Hispanis, quia hic primum post longum & molestum iter, largo commeatu famem enecaverant. Hic anno *c. 1515 c. xxvi* primum fidei Christianæ sementis facta, & tria tempora extorta in municipiis *Senecu*, *Pilabo*, & *Sevilletta*. Ingentem hic auri & argenti copiam, ad quinquaginta pene leucas terræ venis occultari produnt, omniaque ad metalla lavanda & eliquanda in vicino opportune suppeterere, solum operas & industrias metallicorum desiderari. *Piros* excipiunt *Tebæ* cum xv pagis & duobus templis affabre structis, nam & *Tebæ*: 40 hi jam Christianismum amplectuntur. *Tebas* porro *Queres*, quibus vii sunt pagi & *Queres* tria tempora. Ab his atque à flumine x leuc. versus ortum, *Tompires* degunt, quibus *Tompi-* xv sunt pagi, præcipiuus *Chilili*, & sex tempora; provincia hæc infœcundior est & cœ- *res.* lum frigidius, salinas tamen obtinet maximas, x leuc. à metallis *Socorro*. Rursus ad Arctum conversis x leuc. occurruunt *Tani*, cum quinque pagis, quibus unicum est *Tani*. templum. Succedunt versus eandem plagam *Peici* cum unico pago, sed longe fre- *Peici.*quentissimo & sumtuoso templo. Solum frigidum & infœcundum. Ab his vii leuc. ad occasum jacet oppidum *S. Fidei*, regni hujus metropolis, ubi Gubernator *S. Fidei* provinciæ & circiter ccx Hispani habitant: licet autem adeo pauci sint & illorum urbs. vix quinquaginta armis bene instructi, tamen ob insolita barbaris arma & crudelis- 50 sima supplicia quæ in perduelles crebro irrogant, indigenjs tanto sunt terrori, ut multa ipsorum millia facile coérceant. Ad eandem plagam & versus flumen *del Norte*, à quo paulo recesseramus, habitant *Teoæ*, in octo pagis, omnium primi fidem *Teoæ.* amplexi, ideoque Hispanis supra modum obnoxii; tria habent tempora; & solum haud infœcundum. Ab his quidem ad occasum & trans flumen degunt *Hemes*, quibus *Hemes.* duo sunt tempora; ad arctum autem & secus ripam fluminis *Picuries* & vii leuc. ul- *Picuries.* terius *Taosii*. A *Querum* rursus provincia & extimo illorum pago *S. Anna* ad occasum, *Taosii*.

*Acoma*

Acomæ. *Acomæ* jacet, munitissimus locus, super editam & undique præruptam petram, difficillimus aditu; cuius Incolæ multos Hispanos & plures barbaros superioribus annis neci dederunt; anno demum c<sup>lo</sup> I<sup>c</sup> c<sup>xxix</sup> pacem coeperunt amplecti: xxx leuc.  
 Zumi. magis ad occidentem habitant *Zumi* in xii pagis, quibus solum est fertile & annona copiosa; & totidem rursus leuc. *Moqui*. Atque hi quidem omnes aut Christianismum jam amplexi sunt, aut quotidie amplectuntur: & quum adhuc gentiles essent, decorè se uterque sexus amiciebat gossypinis tunicis & tergoribus ferarum; & certis monilibus aures & cervices ornabant, nam turquesias gemmas hic reperiri satis constat. Solum maximam partem fœcundum est, & ingenti fœnore reddit maizium, triticum & legumina: etiam crocum fert: arbores hic fructiferæ variæ, cerasi, pruni præcoces, tunæ, mali cydoneæ, nuces, quercus glandiferæ, mori, aliæque; pinus quoque ab Europæis nonnihil diversæ quæ magnam copiam pinearum nucum ferunt. Multi amnes piscoli & lacus, inter fluvios excellit flumen *del Norte*, quod optimas trutas & anguillas aliosque pisces nutrit. Ferarum ingens numerus, cervorum ingentium, quos ita cicurant, ut currus ducant; leporum, cuniculorum, vulpium, luporum, leonum & pardorum, felum silvestrium & rupicaprarum insigni agilitate & velocitate. Armenta quoque è Nova Hispania huc traducta ingens incrementum capiunt. Uti & pecudes. Æstate hic supra modum æstuat, hyeme autem acriter friget, ipsaque maxima flumina glacie concrescunt ita ut currus equosque ferant.

Tota hæc regio, quam *Novam Mexicanam* vocant, ab omnibus pene lateribus ambitur ab *Apachibus*, numerosissima gente & imprimis bellicosa; differunt ab aliis barbaris idiomate & pronunciandi modo, tarde verba ponderantes, quum cæteri velocissime ea profundant: sine certis laribus, in tentoriis degunt crebro loca mutantes; cervinis tergoribus amiciuntur tam fœminæ quam mares; fœminas plures alunt pro libitu; adulteria hic crudeliter puniuntur, deprehensis aures & nares truncando; superioribus parent; & juventutem sedulo instituunt & castigant quod alii barbaris insolitum; Solem denique & Lunam plerique pro numinibus venerantur. Horū lingua pro diversitate provinciarum dialectis nonnihil variat. Idem ab Hispanis certis agnominibus distinguuntur, *Piris* finitimi *Apaches del Perillo*; his contermini *de Xila*; ad Arctum porro *de Navaio* (hi vastum terrarum spatum ad occidentem occupant & ad fretum *Anian* pertingere creduntur; à Nova Mexicana versus ortum *Apaches Vaqueros*, ab armentis illis gibbosis, (hæc alibi descriptissimus) quæ maximo numero possident. Per hosce ad eandem plagam orientalem transitur c<sup>xii</sup> leuc. itinere ad *Xumanas*, *Iapies*, & *Xabotaos*; quibus finitimi sunt ad ortum *Aixai* & provinciam *Quivira*; à qua ad Sinum *Spiritus Sancti*, (qui jacet inter promontorium *Apalaches* & *Tampicen* Arctoum Novæ Hispaniæ terminum, viginti novem gradib. ad Apaches. Æquatore) tantum centum leucas produnt Hispani. Atque hæc compendio de cerpsi è relatione *Alfonsi de Benavides Franciscani*, Madriti typis expressa anno c<sup>lo</sup> I<sup>c</sup> cxxx.